Biblioteka Jagiellońska.

VI. k 253.
Montanus

Teol. 4777



4553
CIMELIA

X. i. 66

ZZ
39

VI. b. 253

APOLOGIA
FRANCISCI MONTANI PRO SOCIETATE IESV IN GALLIA.

CONTRA ANTONII ARNALDI Aduocati Parisiensis Philippicam.

Ex Gallico in Latinum translata.

Accessit Appendix ex Historia de facto Ioannis Schattelii, studiosi Parisiensis.



BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE

CRACOVIÆ In Officina Lazari, Anno Dñi,
1597.

Cinc. Qu. 4553

ILLVSTRISSIMO CARDINALI FRANCISCO DE IOYEVSE. ROMAM.

LIBELLVS iste Catholicus, ILLVSTRISSIME CARDINALIS, Alpes transmittere, teque Romæ adire & salutare statuit; vt eò securiùs partes sibi commissas exequi, & imperata facere possit: neq; enim in Gallia, in medio hæreticorum strepitu & fremitu, absque periculo versari licet: proficiscitur autem ad te natiuo suo, hoc est, Gallico cultu expolitus: quòdsi hoc ornatu sperat fore, vt abs te non modò non reiiciatur, sed & comiter humaniterque accipiatur; non tam admirandi, quàm lætandi occasionem, nisi fallor, habebis; cùm nomine, natione, & mente Gallus sis; & auctoritate adeò valeas, vt vbique locorum defensum dare queas.

Porrò, vt opis & subsidii tui admodum indigus est: ita etiam iustissimis rationibus non caret; cur à te hilari animo excipi, & tutela tua omnibus locis tutus in publicum prodire debeat. Catholicam religionẽ propugnat: cui propagandæ tu, *Illustrissime Cardinalis*, in tuo munere, & Illustrissimus Dux, Frater tuus, *Henricus de Ioyeuse*, in administratione Aquitanicæ

prouinciæ, & tota Familia veſtra, vnicè hactenus ſtuduiſtis, & verò adhuc ſtudetis, rebus domi foriſque præclarè & fortiter geſtis; & trium fratrum tuorum, ſanguine, pro Catholica Religione effuſo, longè illuſtrior; quàm Cardinalium, Gubernatorum, Tribunorum militarium, Comitum, Admiraliorum, ſeu Archithalaſſorum, Ducumq; titulis & dignitatibus, aut ſocietate iuncta, fœderibusque initis cum maximis Europæ Principibus, Regumq; ſumma neceſſitudine, imò & affinitate. Defendit prætereà libellus iſte Sedem Apoſtolicam, cuius honore nihil tibi charius eſt & antiquius. Defendit quoque Galliam, cuius tu Romæ negotia, ad pacem & quietem ſpectantia, tractas, protector & patronus patriæ tuæ, à Regibus noſtris deſignatus. Defendit denique Statum & ordinem Eccleſiaſticum, & Societatem Ieſu, quam tu, cùm propter bonum publicum, tum propter creditum tibi gregem Tholoſanum, mira beneuolentia complecteris ac foues.

Cùm ergo quatuor hæc cumprimis præſtet hic libellus, minimè dubito; quin eum, vtpote tibi gratum & iucundum, lætiſsimo vultu ſis dignaturus; adeò, vt auctoritatis tuæ clypeo tectus, liberè poſsit proborum cœtibus & congreſsib. ſeſe inſerere, conſtanterque veritatem à calumniis & mendaciis paſſim vindicare: nec occurrit melius, quod huic meo

operi

operi adprecer, sperans; vt quod voueo & opto, facilè consequar. Deus te, *Illustrissime Cardinalis*, Ecclesiæ & Reip. Christianæ, cælestibus donis cumulatum, quàm diutissimè incolumem & superstitem seruet; cuius manus, qua possum animi submissione & reuerentia, exosculor. Ex Boulardo nostro montano. 29. Martii 1595.

Illustriss. Cels. V. obsequentissimus

FRANCISCVS MONTANVS.

Ad Gallos Catholicos.

CVM pro IEsuitarum defensione, statuissem Antonii Arnaldi Inuectiuam refellere; non iniuria mihi persuasi, me, si illum refutarem, plures boni publici hostes in vno impostore profligaturum, & Societatis Iesu ordinem & honorem, à calumniis vindicando, simul etiam acturum causam religionis Catholicæ, Sedis Apostolicæ, & Galliæ vniuersæ. Non fugit vos, iam vno abhinc anno, actionem Arnaldi contra Iesuitas nihil aliud esse, quàm querimoniam quandam, libellumq; famosum, eo fine conceptum; vt Iesuitæ omnibus redderentur inuisi & exosi; & vt minore cum difficultate perficeretur Senatusconsultũ illud, quod posteà scriptum est, de Iesuitis ex toto Regno expellendis; quod iamdudum machinabantur Ministri: sed hoc tandem tempore voti compotes facti, vela dare cœperunt, vento tam secundo sibi afflante; & verbo quidem in Iesuitas, reipsa verò in Religionem Catholicam, & in vos, vestrasq; fortunas omnes impetum fecerũt, artificio vsitato mendaciorum parenti Dæmoni, qui semper sui similis persistit; & vt simia, semper simia, ita iste perpetuò manet hostis & aduersarius humanæ felicitatis & salutis; qui omnibus sæculis Ecclesiam in omnibus quidem membris afflixit, variisq; tempestatibus concitatis exagitauit; sed præcipuè in religiosis, quos præ aliis odit & de-

& deteſtatur; moleſtè videlicet ferens, tot cohortes, tam lectas, & robore tam præſtantes, ſibi regnóq; ſuo debellando imminere: Inueterato odio, *aiebat Magnus ille Antonius*, omnes Chriſtianos perſequitur; ſed maximè religioſos, quorum ne mentionem quidem patienter ferre poteſt: *& ſub initium Eccleſiæ, ita in Monaſteria, cœtuſq; ſacros ſæuiebat; vt ne noctu quidem vllam quietis partem concederet, vt teſtatur Serenus Abbas apud Caſsianum.*

Dæmon potiſsimum odit Religioſos.

D. Athanaſius in vita S. Antonii.

Caſsian. collat. 7. cap. 23.

Occaſionem porrò & materiam tentandi, variisq; moleſtiis afficiendi filios Dei, ſumpſit plerumq; ex opibus & poſſeſsionibus, vel etiam ex bonis & commodis corporis: cuius rei illuſtre exemplum eſt Beatus Iob. At cùm Religioſos, & præcipua Eccleſiæ membra aggredi voluit, alio telorum genere armatus venit, calumnias & criminationes ex pharetra ſua deprompſit, ſpicula nimirum ad id, quod cupiebat efficiendum, aptiſsima, quibus famam illorum & bonam exiſtimationem (quæ quibusuis gazis in hac vita charior eſſe ſolet) ingenti conatu, oppugnatũ & perditum iuit, & verò adhuc it: confictisq; infinitis mendaciis & impoſturis, in id vnum intentus eſt; vt ex hominum animis opinionem ſanctitatis, quam de religioſis habent, eximat, eorumq; viuendi normam & rationem in inuidiam vocet, laborumq; ſperatum fructum intercipiat, immenſo multorum damno.

Calumnia præcipuũ Dæmonis telũ.

Hoc ſpiritu agitatus Arnaldus, venenum ſuum in ſui ſimiles

similes fabulas, consiliorumq; suorum administros & adiutores transfudit, & eos calumniandi arte egregiè instruxit; quos inter, vt hæretici facilè sibi primas vendicant, ita etiam facilè palmam reliquis criminatoribus præripiunt, quoties in Religiosos maledica lingua exerenda est. Quemadmodum enim nullus pietatis amans scriptor extitit, qui Religiosum statum laudibus ad cælum vsq; nõ euexerit: ita etiam nullus fuit hactenus hæreticus, qui Religiosi nomen velut pestem non horruerit. Astipulantur meis dictis omnium ætatum historiæ, quæ exemplis ad hanc rem comprobandam idoneis abundant, & ipsæ hæreticorum linguæ, nouacularum instar acutæ, eorumq; monumenta aspides, pungendo & mordendo imitantia, sententiæ meæ fidem perspicuè faciunt. D. Augustini tempore Circumcelliones *hæretici, Religiosos potissimùm conuitiis & probris proscindendos sibi deligebant, teste D. Augustino, qui etiam aduersus Petilianum scribens sic ait:* Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorũ & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.

In Psal. 132.

Lib. 3. contra Petil. c. 40

Ariani, ne ad aures quidem nomen Religiosi æquo animo admittere poterant, quos etiam mirificè, sed præcipuè calumniis, & iniuriosis imposturis traducebant, & diuexabant, nullo inducciarum interuallo concesso: cuius rei locupletem do testem Ruffinum, & historiam, de vita rebusq;

rebusq; gestis S. Athanasii. Et ne ex antiquitate exempla duntaxat petamus, nemini ignotũ est, qualia mẽdacia hodierni hæretici de Religiosis commenti sint, & quot conuitiorum plaustris eosdem onerârint. Wiclephus eò impietatis processit, vt asereret, omnes Religiosorum Ordines, à dæmone in Eccleſiam fuiſſe introductos. *D. Augustinum, S. BEnedictum, S. Bernardum, & cæteros Religionum fundatores, nisi propter institutos à sese Ordines pœnitentiam egerint, æternis cruciatibus addictos esse. Lutherus singulis propemodum verbis in Religiosos inuehitur, eosq;* victimas Idoli Moloch *appellat; à quo non abit Caluinus, cui Religiosi sunt* Sophiſtæ, Schiſmatici, homines dæmoni deuoti, *ipsa verò religionis vota,* dæmonis retia. *Melanchthon ait, Religiosorum vota, & opera, nihil aliud esse, quàm* aniles & ſtultas obſeruationes, hypocriticas & Phariſaicas traditiones. *Centuriatores, post multas & execrabiles in Religiosos iniurias, sic suam concludunt narrationem:* Sed quis non deteſtetur iſta generis humani monſtra, ac ſocietatis humanæ hoſtes? *Circa annum LXXXI. fuit Rupellæ impressus quidam libellus famosus contra omnes Ecclesiasticos; sed potissimùm contra Religiosos, adeò pestilens & exitialis; vt ne inscriptionem & titulum illius commemorare audeam: eo certè à multis seculis nullus detestabilior & calumniis contumeliisq; plenior ex inferorum*

Lib. 11. Hiſtor. cap. 3. Metaph in vita S. Athanaſ.

In cap. 7. 1. Corinth. Lib. 4. Inſti. cap. 13.

Cent. 4. cap. 10.

orum ſedibus in has luminis oras erupit.

Nec ſine cauſſa tanto furore in Religioſos incurrunt. Norunt enim iſti Chami impudentes filii, ſe, deuictis & proſtratis Religioſorum Ordinibus, non magno labore de reliquis victoriam reportaturos; et, ſi bono nomine & exiſtimatione ſpolient illos, qui in Eccleſia vitæ perfectionem profitentur, ſimulq; perſuadeant, eorum viuendi rationem à Deo nequaquam proficiſci; non arduum fore, vt reliquum deinde vulgus, quò velint, ducant & abripiant: prono enim aſſenſu approbabunt, quicquid hæretici effutiẽt, ſi ſemel apud ſe ſtatuerint, Religioſorũ Ordines nihil aliud eſſe, quàm Diaboli cohortes. *Cæterùm, vt capitalis humani generis hoſtis, Religioſos inſatiabili odio ſemper perſecutus eſt: ita & in hanc Societatem debacchari non prætermiſit; & eò quidem vehementiore impetu, quò magis dolet, eam mundo iam deuexo, & ad occaſum vergente, Eccleſiæ laboranti in ſubſidium miſſam fuiſſe; & ita quidem, vt animo imperterrito & infracto, omnibus inferorum portis, pro Eccleſia conſeruanda, ſeſe obiiciat. Hinc magis in eam excandeſcit, non ignarus, ſupereſſe ſibi modicam temporis partem ad illaqueandos homines, & ad inexplebilem ſuam ſitim exitio animarum reſtinguendam. Quam ob rem in nulla orbis terrarum parte Societatem hanc infeſtare, odioſamq; reddere ceſſat. In Iapponia Cabacondonus Tyrannus, ab octo ſeptemúe annis, nihil aliud iam molitur,*

Cur diabolus ita oderit Religioſos.

Cur Ieſuitas.

Dæmonis

Dæmonis impulsu, quàm vt eos profliget, & penitùs exterminet, quasi Deorum suorum euersores: quin & reipsa iam, quod decreuerat, perfecisset; nisi Principes iis in locis, Christianis sacris iniciati, Tyranni violentiam partim cohiberent, partim etiam Iesuitas, suas in ædes reciperent.

In Peru, Brusilia, Mexico, & in multis Europæ locis, idem Sathan nihil aliud est, quàm Sathan, hoc est, aduersarius & inimicus perpetuus. Hinc, vt cuncti norunt, non desinit in eos omnis generis procellas ciere, vt fluctibus tandem obruantur: de quo conatu etiam gloriari aliquando consueuit. Tholosæ, Anno M. D. XCI. ore cuiusdam energumenæ, extrema quæq; Iesuitis minatus est: quamuis autem ex sententia res nõ successerit; eas tamen lites & contentiones excitauit, quæ omnibus Aquitanicæ prouinciæ Collegiis summas molestias & ærumnas pepererunt. Non multis annis pòst, Anno videlicet M. D. XCIII. Romæ, per aliam mulierem obsessam dixit, se Schedulas, quibus suffragia in vrnam mitti solent, confusè permixturum, in congregatione generali, sequenti mense Nouembri celebranda. Nec facere omisisset, nisi Deus consilium impediuisset. Hæretici Dæmonis emissarij se ad mores & ingenium Magistri sui pulcherrimè & artificiosissimè conformant & cõponunt. Hinc nullum ordinem atrocioribus calumniis appetunt, neq; in vllum Ecclesiæ statum impressionem

violentiorem faciunt, quàm in istam Societatem, in qua oppugnanda, oppugnant, quicquid Catholicorum adhuc superat. Hæretici Germaniæ, Angliæ, Franciæ in suis Concionibus ac libris, non amplius appellant Ecclesiam Catholicam Papatum, vt olim; sed doctrinam Iesuiticam; Nec Catholicos vocant Papistas, sed Iesuitas; & bene quidem dicunt, licèt inconsiderati, imò & inuiti. Arnaldus, cæteris omnibus deterior, vocat Catholicos, homines per Iesuitas corruptos. Omnes in istam Societatem machinas & tormenta sua explodunt, & concordibus animis ad eius interitum conspirant; adeò ferali odio in Iesuitas accensi sunt, adeoq; sibi persuadent, his debellatis & extinctis, nullius negotii fore reliquos sub iugum mittere.

Ante omnia igitur Societatem infamiæ macula aspergere, & hac ratione despicabilem, inuisam, & infructuosam efficere, & ad extremum vnà cum Catholica Religione ex Galliis profligare, summo studio contendunt. Primus quidem impetus in Iesuitas dirigitur, sed exitium non in ipsos solùm, sed in ecclesiam tendit & terminatur: Simulant, se tantùm in Iesuitas concitari, vt hoc velo tecti, Catholicos eludant, simulq; cohibeant, ne Iesuitis sese defensores & patronos præbeant. Quod si ad hanc fraudem Catholici conniueant; non absimiles erunt militibus: qui cùm in exercitu ad prælium iam accincto, vident hostium cateruas in commilitonum cohortes ferro irruere

Astus hæreticorũ.

ro irruere, ne pedem quidem auxilii ferendi cauſſa mouent; perinde ſanè, ac ſi ſalus aut pernicies ſodalium nihil ad ſe pertineret.

Prouinciæ & Vrbes, quæ initiò reſtiterunt Supplicationi Rectoris Academiæ Pariſienſis, & deinceps editis & publicatis SC. hoſtium cuniculos non ignorunt, ſed probè cognouerũt, ipſos nõ ſolos tãgere Atrei liberos.

Quod ad me attinet, ſtatui in gratiam boni publici & patriæ meæ nõnulla adferre, quibus Arnaldi calumniæ, & mendacia cõfutentur; quod eò mihi erit faciliùs, quò mendacia Arnaldi ſplendidiora ſunt & craſſiora; & quò etiam propiùs & familiariùs, multis iã annis, Ieſuitas noui, lectis eorum Regulis, Conſtitutionibus & hiſtoriis; quarum rerum cognitio, ſumma admiratione, vel potiùs indignatione me affecit; cùm inde intelligerem, actionem Arnaldi, mendaciis omnem modum & nationem excedentibus vbiq; refertam, plenamq; impudentia hominis effrenatiſſimi & petulantiſſimi, tamq; iniurioſi & mendacis; vt à triginta annis nullus mendacior in tota Gallia, vel verbis in foro, vel ſcriptis in impreſſo libro exſtiterit. Nullum impietatis ac improbitatis epitheton ac cognomentum in ipſis Pœtarum tragicorum monumentis repertum præteriit, quod non iſtis Patribus tribuerit. Vbiq; eos nominat proditores, homicidas, impios, execrabiles, Aſſaſsinos, ad excogitandũ acutiſsimos, ad audendum impudentiſsimos, ad ef- Furiæ Arnaldi.

ficiendum acerrimos. *Et alibi:* Pellite, *inquit*, istos homines, qui sibi in omni impietatis genere pares non habent, tam acres, tam paratos, tam audaces, tam callidos, tam in scelere vigilantes, tam in perditis rebus diligentes. *Nec potest miser quicquam eorum, quæ dicit, probare. Pro ratione iniuriarum & calumniarum*, Fateor, *inquit*, bilem iustamq; indignationem me extra meipsum rapere. In quaùis alia re non potest quis plus satis modestus esse; sed qui in hac caussa tepidus est & modestus, proditor est, & in simili negotio virtus in excessu consistit, non affectionis tantùm, sed etiam passionis. *His verbis furit amens iste in Ordinem, diuinitùs missum, & vniuersalis Ecclesiæ suffragio comprobatum. Caussa huius maledicentiæ consistit in maxima animi perturbatione & agitatione. Annè phreneticus aut phanaticus vllus fuit, qui in tam furiosos sermones erumperet? Annè vllum pòetam tragicum reperiemus, qui stilo acerbiore ac crudeliore in Anthropophagos, in Tartaros, in Gigantes, in Canibales, inuehi queat, quàm iste in Iesuitas? Quapropter, non mirabitur Lector, si interdum viderit me tanta maledicendi & conuitiandi amentia commoueri; vel potiùs ignoscet mihi, quòd non crebriùs & vehementiùs eommoueor. Salomon sapienter vetat* respondere stulto iuxta stultitiam suam, *hoc est, reddere illi iniuriã pro iniuria, & malum pro malo, quod & lex Christi prohibet: hoc*

Prouerb. 6.

enim

enim esset stulti mores imitari, seq; illi similem reddere, quod facere non fert animus: Illud duntaxat mei muneris arbitrabor, quod idem Salomon statim post superiora verba præcipit, cùm ait: Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. *Arnaldus procul dubio sese tanquam virum sapientem circumspicit, quòd à nullo pro merito stultitiæ suæ sit refutatus; sed à multis potiùs, quasi sapientia multum valeret, laudatus. Quamobrem, si illi respondeam sermone factis illius accõmodato; hoc est, crassiore nõnihil & pinguiore, vt eò meliùs crassa illius stultitia repræsentetur, omniumq; oculis subiiciatur; minimè iniuriam iniuria vindicauero; sed stulto, prout meretur stultitia, respondero, iniuriamq; demonstrauero, qua Deum affecit: in Deum enim iniuriosus est, cùm Societatem, opus diuinæ prouidentiæ, conuitiis proscindit. Omninò sapientiæ & charitatis laudem non minimam referet, quisquis Arnaldum vt effrenatam bestiam tractauerit, & aliquando, cùm dentes ad morsum expromet, baculo castigauerit. Canes in rabiem versi, non sunt mulcendi blandiciis, sed fustibus coërcendi. Nec imponam ei vllum cognomentum ortum ex affectu, animiue perturbatione; sed ex ratione, & omnia epitheta, quibus à me afficietur, ex actionibus eius deducentur, neq; alio, quàm suo ipsius gladio iugulabitur, non sine perspicua probatione.*

Quamuis autem Iesuitarum innocentia, huiusq; ve-

sani

ſani calumniatoris proiectiſsima impudentia, ſummoperè ad refutationem me incitârint; nunquam tamen animum adieciſſem ad ſcribendam Apologiam, niſi experimento didiciſſem, impudentiam iſtius criminatoris quantumuis craſſam, & cuiuis non cæco manifeſtam, vergere in veritatis detrimentum, nimiumq; credulis perſuadere, Ieſuitas, ideò tam modeſtè cum Arnaldo agere, quòd bonitati cauſſæ ſuæ diffidant, quo ipſo virtutem & mentis moderationem pro metu & deſperatione habent. Hinc tantum auctoritatis apud multos hæc Arnaldi impudens petulantia obtinuit; vt non paucos extimulârit ad quidquis dicendum & ſcribendum contra Ieſuitas, imitatione videlicet & exemplo huius Archiſycophantæ, qui cæteris ad hanc improbitatem facem prætulit. Cæterùm, Societatis mores, adeò in occulto non deliteſcunt, vt me etiam & quouis alio tacente, ſatis ſuperq; refellere poſſint omnium obtrectatorum maledicta & conuitia: ſed tamen, quia ſæpè accidit, vt quidam ipſo etiam lucis ſplendore excæcentur, vel ſaltem oculis hebetentur; ideo iuuâdi quoq; ſunt miniſterio vocis, & lumen ipſi etiam lumini accendendum eſt. Multos in ſingulos dies mors abripit, & funere mergit acerbo; & tamen maior hominum pars in medio ſtatu à morte editæ, vix vnquam cogitationem de ſupremo illo vitæ articulo ſuſcipit; niſi tunc, cùm hac de re ſermo inſtituitur. Quapropter non ſolùm vtile fore exiſtimaui, ſed etiam neceſſarium, & ex re boni pu-

ni publici, impostoras istas & impostores refellere, & ad rectam semitam, si quo modo fata sinant, reducere. Vt verò vos Catholici Galli, *vno intuitu videatis summam, & quasi periochen totius Tragœdiæ in Iesuitas excitatæ, paucis rem totam oculis vestris subiiciam.*

Summa accusationis contra Iesuitas.

Cùm hæretici, Iesuitarum hostes, iam à multis annis statuissent, Iesuitas ex Galliarum Regno profligare, neq; consilii sui exequendi aptam aliquam rationem inuenirent; recurrerunt more suo ad accusationes falsas & cõmentitias, & ad calumnias & criminationes, quibus eos in odium & in inuidiam omnium vocare conati sunt; conuenienter videlicet disciplinæ & instituto eius, qui antiquus humani generis est hostis. Hæc factio, & in Iesuitas coitio, eò maiore diligentia, arte, & æstu excogitata & inita est; quò clariùs viderunt, nullum hactenus extitisse Religiosorum Ordinem, qui boni nominis fama & existimatione, tam apud alios opus haberet, quàm hæc Societas; cuius omnes functiones & actiones in luce versantur, quas infructuosas reddi necesse est, nisi boni nominis odore fœtes efficiantur: quo proinde ab ea sublato, quid nisi anima à corpore secludi, & cursus pulcherrimarum actionum intercidi, & via ad exitium & exilium patari videtur? Isti ergo Sycophantæ, oculei toti, instar Argi, in omnes calumniarum occasiones intenti vigilabant; vt tandem Iesuitis bonam existimationem adimerent: quod optabant, consecuti sunt beneficio præ-

sentis status & temporis, quod non modò egregiam occasionem subministrauit, cum summa impunitate; sed & ad malefacta & maledicta opem quoque & omnem opem suppeditauit.

Vt autem consilium suum eò expeditius reipsa perficerent, renouarunt actionem Anno M. D. LXIV. aduersus Iesuitas institutam, totamq; illam calumniarum colluuiem iamdudum sepultam, denuò in lucem reuocârunt; admistis etiam omnibus illis criminationibus, quas à triginta annis Ministri hæretici effuderunt in suis libris. Ex his enim accuratissimè corraserunt omnia illa vetera commenta & figmenta, non sine additamento nouorum. Lectitârunt etiam Regulas & Constitutiones Societatis, vt eas arbitratu suo malitiosis glosis & interpretationibus contaminarent; quo improbitatis genere cæteros longè superâsse fertur, Aduocatus Dole, *cuius nænias vt reperirem, nullo hactenus studio consequi licuit.*

Porrò, vt huiusmodi technis & fallaciis auctoritas aliqua accederet, elegerunt isti rabulam, vocis & laterum firmitudine præpollentem, tumidum, arrogantem, hæreticũ; quamuis sub tegmine Catholici, & sub obtentu boni publici; audacem, effrontem, & quicquid contra innocẽtes proferre pararum, absque Religione & pudore. Qui vt crimina falsa & ficta specioſius propugnaret, quibus onustus veniebat, duo potissimùm sibi procuranda putauit:

uit: Alterum, vt in publico conſeſſu, & populo præſente peroraret, quod non impetrauit. Hinc toties conqueritur, quòd ianuis clauſis *in Ieſuitas dicendum fuerit: quo ſatis planum facit, actionis ſuæ finem præcipuum fuiſſe, Ieſuitas traducere & diffamare. Nam ſi nihil aliud quærebat, quàm id, quod ius fasq; exigunt; cur alios auditores, quàm ipſos Iudices, expetebat? Alterum, quod ad infamiam Ieſuitis pariendam perquàm appoſitum huic viſum eſt, nihil aliud fuit, quàm forenſem declamationem & Inuectiuam typis mandare, & ex famoſa Actione, libellum æquè infamem, conficere. Qui agendi modus, equidem iniquiſſimus & iniuſtiſſimus eſt. cùm ſit accommodatiſſimus ad hoc, vt breuiſſimo temporis ſpatio, nõ modò priuatum quemq;, ſed & integros Ordines, debita exiſtimatione priuet, fructumq; ſperatum nõ ſecùs perdat & exuat, atque pruina longè, latéque lætis arborum comis ſuperiecta. Quòd autem nihil aliud ſpectauerit, quàm Societatis infamiam, imò & ruinam, non obſcurè innuit, cùm in ſuo Epilogo,* Vox mea, *inquit,* quatuor Regni partes penetrabit, & poſteritati cõſecrabitur. *Porrò, inter omnes calumnias principem locum tenere viſa eſt illa, quòd Ieſuitæ ſint* Hiſpani, *& eiuſmodi homines, qui ne Deo quidem ſeruiant, niſi propter Regem Hiſpaniæ, quem totius mundi Monarcham efficere velint. Sed aliæ nationes, quæ Ieſuitas propiùs norunt, nullaque perturbatione præpeditæ iudicium de*

rebus ferunt, risum vix tenebunt, hac audita accusatione, non modò ob vanitatem fabulæ, sed quòd ipsa per se calumnia planè sit risu digna, & verè, quod dici solet, ex vitro fulgur; *in Gallia tamen non exigui ponderis & pretij est, vbi, vt olim in Græcia, nihil tam incredibile & paradoxum excogitatur, quin in alicuius cerebri vacuo cerebro locum inueniat. Imò, hic noster rabula, tanti hanc criminationem pendit; vt in tota sua actione nihil frequentius in ore habeat, nihil vehementius vrgeat. Quamobrem inde velut ex armamentario quodam omnis generis tela aduersus Iesuitas depromit, in eosq; semper quasi in scopum quendã defixus cõuitia spargit. Restat, vt totum Arnaldi opus excutiamus, istumq; Aduocatum committamus cum parte aduersa, sermone ad eum, non vt ad Iurisperitum, sed vt ad Iuris calumniatorem, conuerso.*

FRANCISCO MONTANO.

Quo, docte, libro veritatem intermori,
Montane, prohibes; hoc tuam prohibes mori,
Montane, vindex veritatis, gloriam.

Aliud eidem.

Quicunque spiritum calumniatoris
Imbibit, & animum toxico suum infecit
Arnaldico; is, si legerit tuum librum,
Quo veritas defenditur, nisi Arnaldum
Pleno ore mendacem vocet, nihil causſæ
Prætendero, quo minùs ego nominer mendax.

APOLO-

APOLOGIA FRANCISCI MONTANI,

PRO SOCIETATE IESV *in Gallia* Contra Antonium Arnaldum.

CAPVT I.

Qualis Philippica Arnaldi; & cur à nullo hactenus refutata.

SI IESVITÆ, indigniſsimè à te, Arnalde, tractati, veritatis duntaxat tuendę gratiâ tibi reſponderunt, nullo modo in te tuamq́; impudentiam exulcerati; id ipſorum adſcribes modeſtiæ, mentisq́; moderationi: quòd autem poſt ipſos nullus ad hunc vſque diem boni publici cauſſa, cuius id quàm maximè intereſt, calamum in manus ſumpſit; perſuadeas tibi velim, id non penuria materiæ, ſed tui contemptu eueniſſe. Nam cùm tota actio à te inſtituta, typisq́; mandata, nihil aliud ſit, quàm furioſa quædam animi abalienatio, & linguæ petulans deerratio, calumniis & impoſturis refertiſsima; non immeritò iudicatum eſt à prudentioribus & cordatioribus fore, vt ſilentio & contemptu ipſa per ſe concideret, vltrix ſuiipſius, & refutatione valdè ſeria, non tam videbantur innocentes defendi, quàm tua ſtultitia & veſania magni fieri: cùm & Senatus ille, ad cuius tribunal declamaſti, Ieſuitis

Cur hactenus Arnaldo nullus reſponderit.

communi consensu absolutis, satis declarârit, te, præter mendacia, nihil contra illos attulisse, adeò, vt ad ruborem tibi eliciendum nulla alia Apologia opus fuerit.

Cæterùm, quod iam mea sponte & priuato nomine tecum congredior, communi illo iudicio minimè absterritus, non est quod mireris: noui rerum euentus, noua quoque suggerunt consilia. Manifestis etenim indiciis & documentis cognitum est, improbitati tuæ temporis iniuria & iniquitate aliquid auctoritatis accessisse: cùm impostur& fraudes tuæ, præter omnium spem & expectationem, pluribus caussa Iesuitarum per te in suspicionem adducta, aliorumq; silentio commotis, fucum fecerint, oculosq; perstrinxerint: alij enim tanquam veritati maximè consentaneas arripuerunt: alii imprudenter confirmârunt: nonnulli odio in Iesuitas inflammati, magno auctario adauxerunt; vt, qui nunc passim regnant rabulæ, poëtastri, & versificatores, qui eâdem, qua tu, rabie perciti, canum furentium instar, lunam latratibus insectati sunt: quibus omnibus tu malè loquendi, scribendi, & agendi vberem materiam suppeditasti. Quô fit, vt quamùis hominibus bonæ & probæ mentis ex ipso tuo libro liquidò constet, calumniatorem nequitiâ tibi parem, à multis sæculis in Gallia non extitisse; nostrorum tamẽ temporum ea est calamitas & infelicitas; vt plerique, nimiò plus credulí, insolentem te reddiderint, & ad actionem hanc, quasi hostibus iam deuictis, excitârint, prætextu Religionis Catholicę, quam tu, Iesuitarum velatus nomine, pleno gradu perditum vadis.

Quo circa necessarium censui, vt post diuturnum silentium, vocem tandem tollerem; deceptis, & in fraudem impulsis, opem ferrem; aduersarios, plus æquo exultantes, cõprimerem, teq; lupum esse patefacerem; cùm ex gressu pedumque vestigio, tum etiam ex morsu & vlulatu; simulq;

planum

planum facerem, te in Inuectiua tua nihil aliud spectasse, quàm vt infamiæ nota aspergeres Ordinem toti Ecclesiæ Catholicę vtilissimum, nõ sine certo & explorato eiusdem Ecclesiæ detrimento. Et hic est fructus, quem mihi hoc meo labore proposui. licèt enim non sperem me impetum præsentis persecutionis in Iesuitas concitatæ cohibere posse; officium tamen boni & Catholici ciuis Reipub. Christianæ me præstitisse arbitrabor, si quod cœpi, felicibus auspiciis terminauero. Quod si conatus parum ex sententia successerit; non modicã tamen vel inde capiam voluptatem, cùm meminero, me nulli operæ laboriue pepercisse: si tardius, quàm par erat, opus hoc suscepi, redarguant me viri, quibus pietas cordi: tu autem mihi gratias age. Nam tarditas mea emolumento tibi fuit, cùm interea nactus sis duorũ triumue mensium interuallum, quo potissimæ tuorum desideriorum parti vidisti reipsa fieri satis.

In confessu publico audiri cupiebas, valuis & foribus non occlusis; Ecce tibi Patissonius, Typographus tuus, vota tua longè superauit. Nam portas Parisienses tibi latissimè pandit, & loco vnius angusti conclauis in palatio, amplissimum tibi in Gallia extruxit theatrum; vt ab innumerabili hominum multitudine, velut circumforaneus & agyrta quidam, in medio foro exaudiaris. Antea peroraſti intra certos cancellos & limites: nunc remotis omnibus terminis, vox tua omnes regni Gallicani fines pererrat & penetrat; & vt optabas, seclis durabit innumerabilibus, nunquam intermoritura. Actio tua Iesuitas exterminari cupit: huc enim iampridem ferebatur omne studium Ministrorum & prædicantium: lata est sententia, non quidem te benè vel malè causſam agente; plerisq; locis perfectum est id, quod decretum erat: in aliis, si prima hæc impressio prosperè cesserit, idem fiet; quamùis seriùs tuis & Ministrorum ardentis-

simis

simis desideriis. Votis igitur tuis potitus es, haud sine ingenti voluptate, nemine obstante, nemine impedimentum vllum obiiciente. Patiaris ergo, vt & ego nunc auricula vellicata officii tui te admoneam, alioque negotiorum genere distineam; dum scriptum tuum excutio, teque in eandem foueam, quam aliis fodisti, & in illa retia, quæ aliis tetendisti, impello. hac tamen lege, vt nullum aliud subeas incommodum, quàm vt omnes clarè perspiciant, qualis sis sycophanta, vel potius bestia. Neque, dum te refello, eodem, quo tu cum Iesuitis, modo, hoc est, calumniis & conuitiis tecum agam: neque alio cognomento à me cohonestaberis, quàm eo, quod doli & technæ tuæ mihi suppeditauerint; cùm mendacia, impostura & calumnias effutiueris, *mendax, impostor & calumniator* audies: neque aliis coloribus te depingam, quàm tuis.

Arnaldus alter Medius calumniator insignis.

Vt autem generatim aliquid de opere tuo dicam, nescio sanè quid aliud toto libro agas, quàm quòd personam & partes eximii cuiusdam calumniatoris egregiè sustines ac tueris; adeò, vt non dubitem affirmare, te quàm simillimum esse Medio, sycophantę in aula Alexandri Magni notissimo: qui cùm reliquorum calumniatorum dux & antesignanus esset, hoc suis sodalibus dabat cõsilii, ne alios dictis incessere formidarent, sed potius conuitiis aculeatisque verbis audacter quosuis impeterent & morderent. *Nam, licet*, inquit *is, quem momordisti, ex vulnere conualescat, cicatrix tamen nunquam obducetur, sed indelebilis remanebit.* Quo præcepto verè exprimitur calumniatorũ genius, & spiritus planè diabolicus; à quo te quoque agitari, factis tuis palam fecisti: in quosuis enim dentes stringis, nullique parcis, sine fronte, sine consideratione & probatione; id vnum curæ habens, vt infames, vt mordeas; iure an iniuria, nihil sollicitus; dummodò vulneres & lædas, siue Iesuitarum bonum nomen & existimationem,

nem, siue eorum animos, qui tibi loquenti aures nimis quàm faciles præbent. Quod probè animaduerterunt familiares tui, spiritumque Medii illius in te resuscitatum & reparatũ agnouerunt. Ex quorum numero quidam rythmos suos, quibus Iesuitas insectatur, te verò ad cælum vsque extollit, sic concludit:

Arnaldus egregius calumniator, etiam iudicio cuiusdam sui amici.

Infamia notati, in omne seculum,
Arnolde, viuent, scripta & hoc propter tua.
Vulneribus ignominia vera similis est,
Quæ temporis sanet licèt longinquitas,
Tamen cicatrix permanebit perpetim.

Sed vt auctor certiùs ostenderet in te Medij animam immigrasse, loco *ignominiæ*, ponenda erat *calumnia*; parum tamen interest; paucis verbis satis atro carbone te deformauit. Cæterum, quod necessarii isti tui ad rythmos tam prompti, hæretici sint; testatur vnus ex illis loco & vice omnium, dum ita versibus suis in Iesuitas inuehitur:

Pœnas, vt isti hypocritæ, dignas luant,
Qui teneriora ingenia perdunt funditus,
Exterminandos esse non equidem reor:
Satis superq; fuerit, ipsis si accidat,
Melioribus quod factitant ipsi libris.

Solent Iesuitæ diligẽter in id incumbere, vt libri impij & ab hæreticis scripti, flammis absumantur, vt & non ita pridem sub discessum ex vrbe Lugdunensi fecerunt, mense Ianuario, exustis iis voluminibus, quorum precium quingentos aureos transcendebat. Eiusmodi libros appellat iste sycophanta in suis rythmis, *meliores*; ex quo quisque æstimare poterit, num iure in hæreticorum numero & censu tales habeantur,

Sed quod ad Orationem tuam attinet, eam nihil aliud esse pronuncio, quàm opus & commentum insignis cuiusdã *Quale Arnaldi opus.*

calumniatoris, mendaciorum penum, impostturarum nidũ, & calumniarum inconditam congeriem. Numeraui plus quam trecenta mendacia, luculenta & splendida, ducentas calumnias, inscitiam & stoliditatem propemodum infinitam. Ex quibus nonnullas mendaces fallacias refutabo ; nam omnes refellere res esset immensi laboris. Caret præterea liber tuus omni ordine, methodo, & orationis certo filo : rudis indigestaq; moles est, aculeatis passim iaculis horrens, similisque herinaceo in se globi instar contracto & collecto ; nihil enim præter asperos aculeos, sine vlla membrorum distinctione, ostentat. Quo fit, vt in hac Apologia ordinem minimè obseruare queam, coactus sequi tua vestigia, qui more bruti animantis sine certo tramite hinc inde auius & deuius oberras. Illud noueris, me, si quando vnum in locũ plura confusè & promiscuè (quod tibi solenne est) cõgesseris, in id, quod ibi præcipuum erit, intentum fore. Neq; aliud Orationem tuam dixero, quàm sermonem furiosi hominis. Præfatio curta & breuiuscula, argumentum & perioche longæ fabulæ est, & magnæ inuectiuæ exiguum inuolucrũ, tuarum affectionum & perturbationum virulentissimarum compendium, complectens ingens illud fastidium, quo afficiebaris, cùm foribus clausis perorare iussus es; quæ, primò statim intuitu, octo illustria mendacia omnium oculis & mentibus offert : ex quibus vnum illud : Iesuitas imperâsse Parisiensibus post illos tumultus Parisiis excitatos, quos *Baricades* vocant. Quamùis autem Actio tua perturbatissima, omnisque ordinis penitus sit expers; principium tamen, nisi fallor, ab *Exordio* ducit. Id inde coniicio, quod *Exordio* necesse sit primum locum tribuere. At ne laboraremus quærendis tribus aliis partibus, tua vel Typographi tui Patissonij industria, adscripta sunt hæc tria ad marginem vocabula : *Narratio, Confirmatio, Peroratio* : exemplo, vt mihi persuadeo, & imi-

Ornamenta inuectiuæ Arnaldi.

& imitatione imperitorum pictorum, qui rudi adhuc & vix dum nata arte adiungebant picturarum nomina: *Est bos, est asinus*, vt quid quidque esset, à spectatoribus agnosceretur. Quare, vt coniectura nos manu quasi ducit in cognitionem Exordii; ita nomina ad oram libri addita nobis vsui sunt ad internoscendas reliquas Orationis tuæ partes.

Arnald. similis est ineptis pictoribus.
AElian. lib. 10.

CAPVT II.

Refutatio protestationis; quam Philippicæ suæ Arnaldus præmisit.

DE statu igitur mentis deiectus, & quantus quantus es, ob clausas fores, ira accensus, initium ducis à protestatione, qua testaris, *te nolle quenquam offendere, qui non stet à partibus Hispanis*, simulque polliceris, *te religiosè obseruaturum legem amnestiæ, seu iniuriarum obliuionis in gratiam regiæ Maiestatis*, cùm vt ais, *Iesuitæ contraria protestatione professi sint, se, vt Regi Hispaniæ gratificarentur, acturos contra non paucos, qui se Regi Galliæ dedidissent, ac proinde elaborarint, vt non publicè, sed priuatim obducto velo audirentur.* Tempestiuè, vt video, delirare & mentiri incipis. Quorsum enim ista protestatio? Aduocati in consessu iudicum caussam agentis officium est, nullius rei potiorem rationem quàm veritatis habere; tu protestaris, te nolle quenquam offendere, præter Hispanos, hostes tuos. Fateris ergo, quantumùis vetantibus legibus, te accedere consilio & voluntate nonnullos offendendi: & in ipso operis tui vestibulo declaras, te omnem eò referre cogitationẽ, vt calumniatoris & detractoris, non autem, vt partes agas boni Aduocati, cuius est, ius fasque tueri, non lædere vel offẽdere. Et quid aliud sibi vult hæc tua protestatio, quàm te nol-

Protestationes ridiculæ & mẽdaces calumniatoris.

Officium Aduocati.

Aesch. contra Timar. & L. Quisquis C. de postulando.

te nolle amicos offendere, sed inimicos tantùm; neque quid dicas, intelligis: nam protestari, nolle se amicos offendere, commune tibi est cum latronibus, qui & ipsi nihil amicis suis nocumenti inferre solent; protestari verò, nolle se quenquam præter inimicos offendere, quid aliud est, quàm statuere, se nolle vlli parcere; cùm, exceptis inimicis, non reperiantur alii, quibus parci & ignosci possit? Quare protestari eo modo, quo tu, hominis est mollis, fracti & cui nulla vis concoquendi iniurias in pectore ineſt, vtpote qui vindictam semper appetat. Desipis etiam, cùm *amnestiæ* legem te obseruaturum profiteris: Nam lex ista pertinet ad inimicos; cùm enim ab amicis, quâ tales, nullam iniuriam accipiamus; nullum locum lex illa respectu illorum habet, aliâs amici non essent.

Latronis beneficium est non nocere.

Mendax protestatio Arnaldi de lege obliuionis.

Quando igitur *amnestiam* & iniuriarum obliuionem polliceris; non modò in memoriam reuocas veteres inimicitias, quæ, septem, octoue abhinc annis extiterunt; verùm illas quoque, quæ ante triginta annos sopitæ fuerant, rursum exsuscitas, & denuò in luminis oras profers controuersias, iam olim extinctas & sepultas, ac veluti Iesuitæ maximorum criminum rei essent, iustitiæ opem aduersus illos vocibus plus quàm barbaricis imploras. Quòd si nec inimicis vis quidquam condonare, nec illatas iniurias voluntaria obliuione delere; ecquis tandem tua misericordia fruetur? cur legẽ *amnestiæ* tam sanctè & inuiolabiliter seruari cupis? visne omnibus ignoscere, exceptis inimicis? Helleboro eges. Si Medicus quispiam polliceretur, se omnes curaturum præter ægros; nonne iure optimo omnibus ludibrio & despicatui esset? An nõ tu similis eiusmodi Medico, cùm tã stolidè loqueris & scribis? Aduertisne, ineptis & sibi non constantibus promissis, te tua vineta cædere? Nonne hoc ipso loco insipiens impostor es, dum Iesuitas traducis, quasi petiuerint

rint cauſſam hanc intra priuatos parietes agi, vt in ſubditos Regis maiorem verbis & contumeliis debacchandi nanciſcerentur opportunitatem, idque non alio fine, quàm vt Regem Hiſpaniæ ſibi magis deuincerent? Si hæc fuiſſet Ieſuitarum mens, oportebat eos publicam & in frequenti omnium Ordinum conuentu audientiam poſtulare: nam grauior inde & diuturnior infamia extitiſſet. Quamobrem, calumniator es hoc loco & calumniatoris more virtutis honorem & poſſeſsionem Ieſuitis eripis, eosq; vitiorum tuorum ſordibus & ignominia, qua quidem potes, reſpergis. Improbitas tua exoptabat publicum, vt liberius velut ex plauſtro maledicta iaceres: at Ieſuitarum modeſtia priuatũ conſeſſum exigebat, ne tua garrulitas & inanis linguæ volubilitas tot Chriſtianorum aures offenderet. Hoc vnum & non illud, quod tu comminiſceris, Ieſuitas ſpectâſſe, ſatis intelligitur ex reſponſo Apologetico oblato per Procuratorem eorundem Senatui Regio, in quo de nullius fama quidquã detrahitur, ne de tua quidem, qui tam atrociter & furiosè in illorum nomen & exiſtimationem inuectus es.

Cæterùm, actio tua perſpicuo indicio eſt, te non iuris & æqui obtinendi cauſſa iudicium publicum efflagitâſſe: ad hoc enim impetrandum, ſatis tibi eſſe poterat præſentia Iudicum; ſed vt Ieſuitas coram innumera & incondita plebis multitudine diffamares, tuæque venenatæ linguæ ſpicula plurium aures ferirent, & vt artem calumniatoris, qua vales plurimum, inſigniori audientium damno factitares, quod quidem extremę malitię perſpicuum argumentum dixerim. *Cur Arnaldus publicam audientiam petierit.*

At Ieſuitæ, re & nomine Chriſtiani, ſuisque hoſtibus amici & beneuoli, vrgendo id quod petebant, hoc agebant; vt tua ſtultitia paucioribus innoteſceret, quod prudentium & intelligentium virorum munus eſſe nemo iure negârit: tu verò honoris tui admodum prodigus, & hoſtis eorum, qui te

amant, ianuis clausis, obiectisque repagulis, non aliter vociferabaris, quàm soleant insanientes cati intra certos limites inclusi, nihil intentatum relinquens, quò tuæ existimationi maiorem securim impingeres, & Iesuitis plus detrimenti adferres. Quod cùm tibi meritissimò negatũ esset; haud tamen conquiescendum putâsti, sed contra omne ius & fas, tanquam ab omni humanitatis sensu derelictus illud per totam Galliam vulgasti, quod ne in pusillo quidem hominum cœtu recitare permissum est, compositio ex actione tua libello famoso; perinde ac si huiusmodi iniuriosas chartas lex diuina, & ipsa Regum Galliæ decreta, grauissimè non prohiberent. Fateor tamen mendacia tua commeruisse, vt à pluribus audiantur & cognoscantur, quo grauiorem pœnam vesaniæ & impudentiæ tuæ luas. Nam amens, & arrogans, nullo se magis digno supplicio multatur, quàm si numeros, quærat & inueniat amentiæ & nequitiæ suæ testes. Exordio artificiosè scilicet & scitè absoluto, Apostrophis ad cælum & terram insperfis, Narrationem inchoas à Carolo V, & Philippo eius filio, tuarumque probationum robur & neruum promiscuè in Narratione & Confirmatione collocas, vt in margine libri annotâsti.

Libelli famosi prohibiti à regibus Galliæ Cod. Henric. III.

CAPVT III.

Refutatio præcipui argumenti; quo probare conatur Arnaldus, Iesuitas ex Gallia pellendos.

Finis Arnaldi. SRationis & raciocinationis tuæ finis est, *vt Iesuitæ Galliæ regno pellantur*, quod vetus est Ministrorum tuorum decretum, iampridem in celebri illa Synodo Montis Albani (cui Beza interfuit) sanci-

tum;

tum ; annus ab illa agitur nunc decimusquartus, si rectè memini. Addis, *id sine iuris ordine & processu, & sine dilatione faciendum esse.* Ratio tua generalis hæc est : *Quia Iesuitæ sunt, fuerunt, & erunt causſæ omnium malorum Franciæ.* Primùm, medium, & postremum, tuę probationis argumentum est, *quòd omnes homines id dicant, præter timidos, & ab ipsis Iesuitis corruptos : quod sit factum vulgo manifestum, & vt vocant, notorium, & populo cognitissimum.* Quod argumentum tam validum ac ferreum tibi visum est, vt illud in initio, medio, & fine, tuę Inuectiuę collocâris, atque adeò per omnes illius partes sparseris. Primò igitur id loco tanquam primarium excutiemus. Ac principiò quidem libenter tibi assentior, cùm ais, grauia, eaq; *notoria* crimina, celeri pœna coërcenda esse, ne dilatio eripiat occasionem exequendi id, quod iustitiæ rigor præcipit. Anno Domini M. D LXIII. hæreticus quidam Parisiis in æde Diuæ Genofeuæ impium facinus contra Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum aggressus, statim nulla mora interposita, à meridie, Iudicum sententiis sacrilegæ temeritatis pœnas promerentes flammis luit.

Hæreticus eodẽ die exustus, quo captus.

Pari modo, cùm parricida, sicarius. *Assasinus*, alteriue culpæ affinis in ipso facto deprehenditur, aut manifestis & perspicuis probationibus conuincitur; haud arbitror opus longa disquisitione, sed expedita & festina condemnatione & animaduersione, cùm sit crimen, quod nulla vel negatione vel tergiuersatione dilui & celari possit. At verò, quando crimen, quantumùis enorme, dubium est, probatione & testimoniis opus habet. Vt enim in criminibus atrocioribus suspicio simplex ad inquirendum & diligenti cum cura inuestigandum sufficit, quod multum interfit hoc Reip. ita etiam probationem oportet esse certam & constantem ; ne temerè innocens opprimatur, eò maiori & intolerabiliori iniuria, quò casus & causſa maioris momenti fuerint. Quocirca, tu

ca, tu ex diametro Legi naturali & ciuili refragaris, dum magni criminis pœnam absq; vlla probatione exigis, probandoq; demonstras, te neque bonum Logicum, neque bonũ causidicum esse; dum loco argumenti assumis id, quod in quæstione versatur, tibique probandum incumbit. Hic agitur *de facto*, ô bone, vtrum scilicet Iesuitæ sint eorum criminum rei, quorum abs te accusantur. Ais, *id esse manifestum.* Iesuitæ negant. Vt probes, dicis *esse notorium, nulliq; dubium*, quod tantumdem est, ac si diceres: *Cato coniurauit in Rempub. quia notorium est, quia nullus hac de re dubitat. Luna cras patietur eclipsin, quia* cras deficiet, quia est notorium, quia nullus de hoc dubitat.

Inepta probandi ratio.

Omnes boni negãt quod Arnald. ait nemini esse dubium.

Sed videamus, quàm verum sit, quod nullus hac de re dubitet, præter *timidos* (vt ais) & *eos, quos Iesuitæ corruperunt.* Quando dicis, *neminem hoc fugere*, significare vtique vis, omnes id asseuerare, & testimoniis vocibusq; publicis confirmare. Ita enim in iudicio loquendum est. At tu solus id asseris, cum tuis gregalibus, quorum nulla penitus ratio haberi debet, cùm testium & accusatorum munus iisdem competere nequeat. Si totus mundus quasi concordi sono id dicit, cur non duo tresue maioris auctoritatis viri totam istã testium vniuersitatem repræsentarent? Et si nemo dubitat, nullius negotii fuerit, id argumento aliquo verisimili demonstrare. Clamas, nemini id esse dubium; sed quid si proferam permultos, qui non modò dubitant, verùm etiam contrarium disertis verbis affirment, & quidem eiusmodi viros, quorum auctoritatem tu minimè defugere vel eludere possis? En tibi *Cardinalem Borbonium* & *Ducem Niuernensem*, qui pro Iesuitis ipsorumq; Collegiis Senatui Regio supplices facti sunt, insigni beneuolẽtiæ & amoris significatione, & princeps ille Regum sanguine progenitus; vt apertè declararet, quàm sibi tota hæc causa curæ cordiq;

esset,

esset, sequentia verba in fine supplicis libelli propria manu adscripsit: *Si aduersa valetudo permitteret, ipsemet ad vos me conferrem, hancq; meam petitionem ore proprio vobis proponerem.* His adde *Episcopum Claromontanum*; vrbes *Billomensem, Bituricensem*; *Clerum, & Academiam eiusdem Bituricensis ciuitatis*, qui omnes Iesuitarum causam tuentur; idemque fecissent aliæ ciuitates Galliæ pro suis Collegiis, si Senatus Parisiensis ditioni subessent. Verùm vt viciniores testes in medium proferamus; en tibi Sorbonam, quæ decreto publico, 7. Idus Iulii, Anno Domini M. D. XCIV. libellũ supplicem, quem Iesuitarum aduersarii 18. Aprilis per fraudem & dolum extorserant, irritum & inualidum reddidit. Habes decretum.

Verba Cardinalis Borbonii.

Die 9. Iulii Anno Domini M. D. XCIV. viso & audito à Facultate Theologiæ Parisiensi, legitimè congregata, in maiori aula Collegii Sorbonæ, libello supplici à venerabilib. Patribus Societatis IESV ipsi facultati proposito, quo quidem exposuerunt superioribus mensibus venerabilem D. Rectorem vniuersitatis, tam suo, quàm omnium Facultatum nomine, supplicem libellũ supremæ Parlamenti Curiæ obtulisse, quo petierit, vt ipsi eorumq; vniuersa Societas ex toto Galliæ regno pelleretur; ac credibile non esse, Sacratissimam Facultatem huic petitioni consensum præbuisse; ac propterea supplicarunt, quatenus placeret dictæ facultati declaratione tectificari huius petitionis & litis intentæ nullo modo participes esse. Ipsa facultas matura deliberatione superhabita, in hunc modum censuit: Se quidem censere, prædictos Patres Societatis Iesu redigendos & recensendos esse in ordinem & disciplinam Vniuersitatis, regno autem Gallico esse nullo modo expellendos.

Decretum Sorbonicum pro Iesuitis.

Sorbona nõ approbat Iesuitarum ex Gallia expulsionem.

Signatum. Panet, dictæ facultatis bidellus.

Accedit facultas Artium, quæ, diplomate subscripto, à tribus ex quatuor nationum procuratoribus, à Rectore, & quod hinc sequitur, à te sese disiũxit, vt & Decanus Facultatis Decretorum, & Decanus medicinæ, & ex numero

Facultates Parisienses pro Iesuitis.

qinquaginta ferè Parochorum (quorum se patronum contra Iesuitas Ludouicus *Dole* dolosè & nomini suo conueniéter iactitabat) quatuor tantùm reperies, qui stent à parte tua, qui sanè à cæteris segregati Collegii *corpus* constituere nequeunt, præsertim sine D. Cardinale de Gondii, eorum capite. Et hi quidem omnes tales ac tanti, non modò de eo, quod obiicis, dubitant; sed & tibi, tuisq; accusatoribus ex aduerso repugnant. Putásne, si crimina ista, quæ semper in ore habes, tam nota & publica essent, adeò aut cæcos fuisse futuros, vt ea non viderent, aut adeò imprudentes, vt scientes & volentes ea propugnarent? Si tantæ dignitatis viri existimassēt, Iesuitas adeò *notorios* homicidas, & vt ais, *Assassinos* esse, imò si tenuem duntaxat suspicionem habuissent, eos his criminibus esse obnoxios; censesne tam audaces, & amentia præcipites fuisse futuros, vt te deserto, Iesuitis sese adiungerent? Adeone exigui iudicii & improbæ conscientiæ eos esse tibi persuadebis? Imò maiori conatu & contentione quàm tu, idem quod tu, expetiissent. Num à te impetrare poteris, vt credas, eos tanto ardore & eo orationis pondere, iisq; precibus pro Iesuitis acturos fuisse, vt in visceribus Galliæ, pernicies & pestis totius Galliæ retineretur & foueretur?

Habemus ergo multos, qui non modò de eo, quod tu asseris, dubitent; sed id etiam velut luculentum mendacium verbis & factis expugnent; & tamen tam effrons es, vt blateres, neminem de hac re dubitare, præter *meticulosos & corruptos*. Sed cedo, quibus annumerabis Cardinalem Borbonium & Ducem Niuernensem? Anne timidis, & non tam loqui, quàm mussare solitis? At non licebit: eorum enim dicta & facta in luce & in omnium cõspectu versantur. Multò minùs dices, à Iesuitis fuisse seductos & corruptos, nisi caput tuum periculo exponere velis, diffamando tantos

Principes,

Principes, quos constat, non modò semper fuisse Regi morigeros, sed & amicos. Et reliqui, quos testes laudauí, iamdudum se & sua omnia Regi permiserunt. Cernis igitur, quàm infirma sit tua probatio, & quàm vana assertio.

CAPVT IV.

A quibus Arnaldus calumnias suas acceperit.

QVIA verò partitio tua tibi nequit esse vsui, patiaris vt ego illâ vtar: demonstrabo enim duo esse genera eorum, qui Iesuitas in exilium actos percupiant, quiq; vt ais, *nihil dubitent, quin omnium cladium auctores sint*, cùm tamen ipsi Galliam perdiderint & adhuc perdant, & imposterum quoque, nisi Deus obstet, perditurí sint. Primùm locum obtinent hæretici simulati & timidi: isti profitentur, quamùis voce submissiore & depressiore, se minimè esse dubios de his, quæ dicis, imò pro viribus illa publicè & priuatim stabiliunt, & euulgant; vt Iesuitis, quos infamant & criminantur, odium & inuidiam concilient, & ad illos exterminandos aditum sibi patefaciant. Verùm cùm nondum ea valeant auctoritate, vt Catholicos in suam sententiam pertrahant, perhumaniter eos prensant, dolis instructi, est cùm & minis, maiora quàm vires patiantur, tentare & aggredí non ausi. Alter locus debetur hæreticis & machiauellistis, hominibus ad quidùis audendum promptis, confidentia & arrogantia plenissimis: isti externa quadam hypocrisi & simulatione, orisq; & vultus impudentia, insignes quoslibet aggrediuntur, & tam Catholicis, quàm hæreticis audientibus & inspectantibus, re & nomine veros Catholicos (quos per contumeliam Hispanos appellant) dictis iniuriosis inuerecundè & irreuerenter incessunt, & hæreticorum commoda clandestinis auxiliis, quo possunt modo,

Duo genera eorum, qui Iesuitas persequuntur.

Hæretici Catholicos uocant Hispanos.

do, iuuant & promouent, ſpecie boni publici & dignitatis Gallicanæ tuendæ; hosq; veros & germanos Gallos nominant; non ſine grandi verorum Gallorum iniuria.

In horum cœtu & tribu, te quoque vnum eſſe, fidem facit oratio tua, qua ſanè deterrimis omnium hæreticorum longè ſimillimus es, & prope gemellus, vt prætéream impudentiam, hæreticorum impudentię parem, qua impulſus, actione & ſcriptione, præſentibus Catholicis, Ieſuitarum exilium & ciectionem poſtulaſti, vt ab hæreticis gratiam inires. Et hoc impudentiæ vitio adeò excellis, vt abſque exaggeratione teſtari poſsim, neminem vnquam in loco Catholico, apud Catholicos auditores & Iudices in vniuerſa Gallia contra Ieſuitas & Catholicos, te impudentiùs, petulantiùs, & magis hæreticè dixiſse aut ſcripſiſſe.

Arnaldus accipit calumnias ſuas ab hæreticis.

Quid, quod & impudentiam tuam & conuitia à multis hæreticis mutuatus es; omnia enim mendacia à te prolata, omnes iniurias, quas IEſuitis irrogaſti, omnes calumnias, quas euomuiſti, ſuppeditarunt tibi Miniſtri hæretici, vel potiùs diabolus, à quo tanquam à primo auctore proficiſcuntur. Nam hæretici vocarunt, & etiamnum vocant Ieſuitas *auaros*, *arrogantes*, *turbulentos*, *diuini nominis vſurpatores*, *& inuaſores Reipub.* iuuentutis corruptores, blaſphemos, Aſſaſsinos, ſeditionis faces, *inimicos Reipub. Galliæ hoſtes*, *Regum occiſores*, *Caſtiliæ exploratores*, *Marranorum tubicines*, *coniuratores*, *Sectam maledictam*, *Sathanæ officinam*, vt omittam alias huiuſmodi atroces iniurias, hæreticorũ ſordes & ſpurcitias, quas me pudet chartæ inſerere, quibus tamen ſuauiter, etſi impudenter, te oblectaſti. Magiſtri tui, quibus magnam gratiam debes, & præceptores tui ſunt Martinus Kemnicius, Petrus Boquinus, Donatus, Gotuiſus, Helias Haſenmillerus, Polycarpus Leyſerus, Miniſtri Germanici, in diuerſis operibus contra Ieſuitas editis, quæ Rupella typis mandauit,

Magiſtri Arnaldi ſunt Kemnitius, Gotuſius, & alii prædicantes.

uit, & tibi subministrauit; ex Gallis verò Ministri Nemausenses in variis Tractatibus, quos in lucem ediderunt aduersus Iesuitas Turnonenses, & maximè aduersus Ioannem Hayũ, & Stephanus Malescot Xantonum minister in sua Morologia verè stulta & mora; quamùis & opus & operis inscriptio tali genitore sit dignissima soboles, Ministri Rupellenses & Gebenenses, qui corruperunt & deprauarunt Lusitanicam historiam optimè & verissimè ab Osorio inchoatam, & à Lopesio Castagneda continuatam, cuius nomen vsurparunt Ministri, vt facilius lectores in fraudem impellerent. sed isti corui facilè dignoscuntur suis rostris & plumis, maximè tunc, cùm contra Iesuitas crocitant, de quibus verus & germanus Lopesius admodũ honorificè semper locutus est. Isti Ministri, & præcipuè Morologus & stultiloquus ille Malescot, & schedulę, quas tibi vel miserunt, vel obtulerunt familiares tui Gallicani Ministri aut Marrani Hispani, in Hispania delitescentes, vel in Gallia commorantes, profugi ex Hispania, aut ipsimet Iesuitarum Apostatæ & desertores: Isti, inquam, subministrarunt tibi, quidquid contumeliosè & turpiter in Iesuitas deblateraſti, ita, vt tota tua actio nihil aliud sit, quàm vehiculũ cœno à trigínta annis collecto onustum, vehiculum exhalans oleta & fimeta fœdissimorum luporum, vulpium, & caprorum, qui nostra tempestate ouile Dominicum vastârunt, Christiq; vineam in Gallia & reliquis Europæ partibus miserandum in modũ demoliuntur.

Morologia Maleſcoti Caluinistæ.

Ex probatis spectatæq; doctrinæ & virtutis scriptoribus nihil accepisti. Neque enim vllus extitit bonus & Catholicus auctor, quamùis Iesuitas vix de nomine norit, qui quoties se offert occasio, honorificè de ipsis nõ scribat & loquatur; vt & ipsorum quidam aduersarii; ex quorum numero vnum tuę professionis & artis tibi proferam Stephanum Pa-

Testimoniũ Pascasii pro Iesuitis. li. 4. epist.

scasiũ, qui Anno salutis M. D. LXIV. Iesuitis diem dixit, & litẽ intendit: Ita igitur ille, in quadã ad amicum suum epistola, quam posteà edidit: *In hac Societate erant tũc permulti docti viri, præter cæteros, Edmundus Augerius & Maldonatus, magnus ille cõcionator, hîc versatus, & in omni genere linguarũ & disciplinarum educatus, magnus Theologus, magnusq; philosophus.* Et paulò infra, cùm de Societatis incremento verba facit: *Reformarunt*, inquit, *isti cæremonias, & Ecclesiasticã disciplinã denuò sanxerunt, seq; penitùs Apostolicæ Sedi dououerunt contra Caluinistas, qui se eorum capitales hostes profitentur. At, qui verè sunt Catholici, cùm animaduerterent, ex eorum officina pietatem iuxtà atque eruditionem prodire, munificè & liberaliter eos dotârunt exædificatis multis in locis iuuentutis instituendæ gratiâ non paucis Collegiis.* Tandem epistolam suam in hunc modum concludit: *Quantum ad me attinet, arbitror Hugonotis acerrimos in his excitatos esse antagonistas; Christiana enim & vera Religio præstare cæteris debet vitæ & morum sanctimonia & innocentia, exemplo, & ad pietatem compositis exhortationibus, non autem bombardis & gladiis.* Audis quàm honorificè loquatur de Iesuitis, postquam contra ipsos acerrimè in foro & Iudicio egerat? Vides, vt eos, vbi agnouit, laudibus extollat? quantis præconiis efferat illorũ virtutes, postquam eas experimento didicit? Ex ipso orationis stilo & filo apparet, nihil hîc esse præter grauissimum veritatis testimonium, ab omni assentationis specie longissimè remotum. Animaduertisne quomodo hoc suo testimonio damnet & improbet, quicquid cõtinetur in illa actione iamdudum sepulta, quam Ministri quasi exhumârunt, & sub luminis oras post triginta annos reuocârunt, horridam planè nouisque glossematis mirificè deturpatam?

Cur boni Catholici in Iesuitas bene affecti.

Idem iuris sibi sumpserunt in Epistolam quandam Dñi *de Bazas*, quem credebant mortuũ: sed reuixit auspice Deo, vt suppositititium istum fœtum refutaret, quod præstitit in epistola

stola quadam ad P. Saffonium Iesuitam cuius hæc verba:

Epistola Episcopi Bazensis pro Iesuitis.

Iure optimo cuiùis pro certo affirmare poteras, epistolam illam meo nomine Parisiis impressam contra Societatem vestram neque à me profectam, neque ex meo sensu dictatam. Neque arbitror quenquam ex prudentioribus, qui me propiùs norit, fidem illi adhibuisse, propter tot & tam præclara à me in cõtrariam partem reddita testimonia publicè & priuatim, vt se dabat occasio, præsertim in extructione & defensione vestri Collegii Burdegalensis. Quanti itidem vos vestrosq; labores perpetuò fecerim, testantur conciones habitæ, & alia sacra ministeria, permissu & rogatu meo in hac Diœcesi à vestris obita. Est tamen quiddam, quod non inficior. Cùm Romæ versarer, sub illud ipsum tempus, quo commentitia epistola prodijt, significatum mihi est à Domino de Lange, in suprema Curia Burdegalensi Consiliario Regio, quosdã magnæ dignitatis & auctoritatis viros, Catholicæ Religionis amplificandæ studio valde accensos, & iuuentutis literis & moribus erudiendæ cupidos, viam ac rationem ostendere, qua vobis tota gubernatio Collegii Aquitanici committeretur; rogareq; eosdem, vt cum vestro Generali Præposito hac de re tractarem, imo & ipsum Pontificem, si ita opus esset, adirem, curaremq; omnia ad hanc rẽ transigendam necessaria: Rescripsi, me non posse vllo modo translationẽ istam & mutationem probare, multas ob caussas, vel potiùs difficultates, quas iam tunc animo præuidebam. Et si nihil aliud obstaret; hoc tamen impedimento fore, quòd istud Collegium semper in primis Regni, & quod hinc est consequens, totius mundi habitum sit, creditum curæ ac tutelæ eorum, ad quos à primo suo ortu semper pertinebat, ad Dominum videlicet Maiorem & Iuratos, qui Collegium istud fundârunt, & vt veri patroni perpetuò tutati sunt; ac proinde magis è re communi fore, si omnibus antiquo loco relictis, ab omni immutatione abstineretur, potiusq; de modo alterius Collegii ædificandi cogitaretur. Si has meas literas ea verborum forma, qua à me scriptæ fuerant, amici vestri edidissent, planè nihil in iis reperiri potuisset, quod non aut ex honore, aut è re communi dictum scriptumúe videretur. Sed bona spe sum ex

fictitia

fictitia illa epistola, nihil aliud vel vobis, vel amicis vestris euenturum, quàm quod crebrò ab optimo Pontifice accepi, qui de calumnia dicebat, eam vacillare & claudicare, tandemq; suis auctoribus plus mali adferre, quàm iis, in quos initio missa & iacta fuerit, à cuius dicto non abludit illud Demosthenis: χρονῳ πάντα ἀσθενέστερα γίγνεται, quo epistolam hanc finio, Deumq; rogo, vt te incolumem conseruet sua q; gratia cumulet.

Dictum Pii V. de calumnia.

Tempore omnia imbecilliora fieri.

Vester vt frater intimus

Ar. Ep. Bazasensis.

Ecce quomodo viri doctrina & virtute præstantes de Iesuitis loquantur & scribant solius veritatis amore: & quomodo Ministri & Prædicantes nihil inausum relinquant, vt multos fallant, & Iesuitis officiant.

CAPVT V.

Propter improbitatem paucorum non esse puniendos vniuersos.

EX supradictis igitur impostoribus & calumniatoribus, tuas imposturas & calumnias sublegisti, aut potiùs à Sathana Prædicantium Magistro & Iesuitarum capitali hoste didicisti; & quid aliud est Oratio tua contra Iesuitas, quàm hæretica quædam nugacitas, à dæmone Ministrorum & hæreticorum proseminatore profecta? Nec celare potest improbitatem suam. Faciamus enim inter Iesuitas reperiri tales, quales tu tuo penicillo describis, quamuis sine ratione & probatione; tamen velle inde propterea concludere, damnandam esse illorum Societatem vniuersalis Ecclesiæ & Pontificis iudicio approbatam, est hæreticis sese conformare, qui propter quosdam abusus & ali-

Hæretici propter abusum tollunt usum.

& aliquorum Ecclesiæ membrorum vitam rectis moribus minùs consentaneam, solent vniuersalem damnare & repudiare Ecclesiam, vt hodierni Euangelistæ, Lutherus, Caluinus, & eorum sectatores faciunt, quamùis reclamantibus diuinis oraculis, quæ nos docent, secernendam esse doctrinã à vita, bonamque doctrinam propter malos mores condemnandam non esse, nec corpus propter aliquod vitiosum membrum. Pharisæi benè docebant, & malè viuebant: & tamen Christus aiebat; *quæ dixerint vobis, facite; secũdum opera verò illorum, nolite facere.* Quod si propter flagitia vnius improbi & scelerati exterminare oportet reliquos; nulla erit tam sancta Religio & societas, quę non sit de medio tollenda: tolletur prima mundi familia, quia in ea erat Cain; familia Noë, quia ibi erat Cham: familia Abraham, Isaac & Iacob, quia in illis erant Ismaël, Esau, & plures improbi: familia Dauid, quia in ea erat Absalon: Collegium Apostolorum, quia ibi erat Iudas. *Matth. 23.* *Improbi sæpe inter sanctos.*

Quamobrem licet demonstrâsses, & luce clarius ostendisses, aliquos vixisse inter IEsuitas, qui sceleribus sese obstrinxissent; nihil tamen colligere iure poteras, aduersus vniuersam Societatem. Quod cùm iniquè & imperitè feceris, hæreticorum mores & ingenium egregiè imitatus es. Hæreticus igitur es, & quidem manifestus, cùm vt hæreticus loquaris. *Verè tu ex illis es, Nam & loquela tua manifestũ te facit.* Tu neque S. Petrus es, neq; Galilæus, minus etiam Christi discipulus; sed procul dubio Lutheri coruus: tuus enim crocitus, vox tua, os & rostrum tuum inconditum te produnt. Indue Catholici laruam arbitratu tuo, & fictas easque mollissimas voces ede, quoad & quamdiu libuerit, simulando Catholicorum loquẽdi & agendi modos & formam; versutiæ & sycophantiæ tuæ te arguunt hæreticum; non quia in Iesuitas inueheris, sed quia hæreticorum instar *Arnoldus Hæreticus.*

contra Iesuitas hęreticorum immortales hostes debaccharis.

CAPVT VI.

Mendacia Arnaldi de Carolo V. Imperatore, Philippo Rege, Hispanis & aliis.

CÆterùm, vt garrulitas tua hæretica est, sic & animus. Omnes hæretici discupiunt Iesuitas ex Gallia exterminatos, qui perpetuò quoque præpedire conati sunt, quò minùs liber eis pateret in Galliam aditus. Hoc desiderio accensus, insanis clamoribus & vociferationibus id procuras passim, imò in singulis tuæ Inuectiuæ periodis, præsertim in eleganti tua Peroratione, in qua velut rabidus canis rabidè vrges, instas, clamas, rogas, interrogas, aposstrophas accumulas, Gallicè & Latinè ita exclamas, vt periculum venę rumpendæ immineat: & tamen post tot Stentoreos & validos clamores, nulla isthîc apparet probatio, nullum argumentum; nisi quòd perspicuè demonstras, te hoc negotium non agere & procurare, vt Iustitię fidum patronum decet, sed vt hæreticum. Nam si tantùm contenderes allatis probationibus, vt Rei certorumq; criminum cõperti punirentur, non exiguam vtiq; merereris laudem: verùm dum septem octouè tantùm Religiosos ex tota Societate tibi deligis, eosq; sine vlla verisimilitudinis specie accusas, dumq; vt omnes pariter exterminentur postulas; ostendis, te non crimen, sed vestem; non reos, sed Religionem persequi, idq; more Tyrannorum & hæreticorum, quibus hoc cognatum. Ait lex diuina: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: Filius non portabit iniquitatem patris.* Et lex humana legi diuinæ consona: *Peccata suos auctores tenere debent, nec pœna vlteriùs protrahenda. Pœnam ferat solus, qui solus noxam commisit, rami amputentur mali, radix seruetur.* Et, vt Cicero dicit,

Ezech. 18.

Extra de ijs quæ stant à maiori parte capitali cap. Quæsiuit in Brut.

acerbum

acerbum est parentum scelera filiorum pœnis lui. Quantò igitur inhumaniùs erit, videre integram familiam, patres filios, famulos puniri, si vnus ipsorum tantùm deliquit? Vult Deus ignoscere ciuitati peccatrici multis peccatorum millibus refertę propter decem iustos, si in ea reperiantur; & tu vis perdere quingentos aut sexcentos Iesuitas sceleris puros, à triginta annis pro bono publico nullum laborem detrectantes, propter septem aut octo, quos accusas, nec conuincere potes? Abraham Deo dicebat: *Nunquid perdes iustum cum impio?* Et tu vis, vt cum quinque aut sex per summam iniuriã accusatis exterminentur quingenti aut sexcenti innocentes non accusati? Et si vox illa censetur immanis & efferati animi, *pereant amici, modò pereant inimici:* quantò crudelior Tyrannus habeberis, dum dicis: *pereant multi innocentes, modò pauci nocentes etiam.* Iustitia enim pluris facit innocentiam, quàm amicitiam. Nimiùm certè tranſilis limites nõ Christianæ mansuetudinis, sed crudelitatis barbarorum omnium, viuamq; & spirantem hæreticorũ effigiem nobis exprimis, quorum immanitas & atrocitas nec modum nec finem nouit: Sunt enim lupis assimiles, quibus caulas ingressis haud satis est vnam ouem sedandæ fami trucidasse, nisi vniuerso ouili vastitatem & perniciem extremam adferant. Gen. 18. Hæretici lupis similes. Ioan. 10.

Fortasis vis dicere, Iesuitas Gallię vnanimes in Rempub. Gallicanam conjurasse, & tot tantaq; mala communi conspiratione Franciæ intulisse. Si hoc verum est, iure ius & fas imploras, quin plus æquo misericors es, dum petis, vt ex Gallia dũtaxat eiiciantur. Nam quando totum Reipub. corpus crimine tenetur, non iniuria punit lex tam membra, quàm capita, integrasq; ciuitates propter improbum Magistratum, & liberos propter scelera parentum. Hanc ob causam extinctus fuit totus *Humiliatorum*, vt vocant, *Ordo*, quem tu insipienter contra Iesuitas adducis. Nihil enim si-

mile de Iesuitis ne per somnium quidem adferre potes, et, si potuisses, haud pro tua beneuolentia prætermisisses. Quapropter si iustè, & non calumniatoris more Iesuitas proscribi, & in exilium eiici voluisses; probandum tibi erit eos illa, quæ obiicis, scelera perpetrâsse, nec fidere debebas, petulanti tuæ loquacitati, verbisq; illis (*Notorium, populoq; notum crimen est: nemo dubitat*) neque enim tantus adhuc es apud Gallos Pythagoras, vt, cùm dicitur, *Arnaldus dixit*: omnes non sine consurrectione tibi assentiantur.

Arnaldi narratio & confirmatio.

Videndum igitur, num firmiora sint illa argumenta; quæ in Narrationis tuæ primo limine collocâsti. *Carolus Quintus, auis, & Philippus eius filius, vt se iam Indico repleuerant auro, haud prius eruto, non minorem hercle fouerunt spem, quàm vt aspirarent ad Monarchiam atque Imperium totius Occidentis, vti videlicet Austriaca familia eodem collocaretur dignitatis gradu inter Europæos, quo est Othomannica inter Asiaticos. Iam autem gnari, quantum dominaretur animis hominum conscientiæ ille scrupulus, quamq; penitus atq; indesinenter in pectora descenderet, ambitionem istam illo pietatis velarunt mantello. Et inescare quidem multò maximam partem Curiæ Romanæ, facillimum eis; tum ratione stipendiorum honorariorum, tum beneficiorum non vulgarium, quæ Mediolani, Neapolis ac Siciliæ, vt omittam prouentus Hispaniarum, precii prorsus immensi. Verùmenimuerò, cùm omne, quod magna illa Regina Vrbium Roma suo fouet ambitu, graue esset ac sedentarium; opus eis fuit hominibus, qui & ingenio simul & sedibus instabiles his illis distributi locis, Hispanorum negotia è re nata fideliter atq; vtiliter administrarent. Atque hi fuerũt Iesuitæ, qui se horrendo sanè numero omnibus infuderunt regionum angulis; nec enim hodie longè absunt à decem millibus, iamq; adeò in ducẽtas ac viginti octo distributi colonias, annuo possident reditu supra viginti centena aureorum millia. Quid ni? Comparatis sibi plurimis Comitum, maximorũq; Baronum latifundiis in Hispania atq; Italia, ipsi interim nullo non insigniti honore, iam Cardinales, iam spe*

Iniuria Arnaldi in Domum Austriacam.

Calumnia in Romanam curiam.

Mendacia insignia.

Papæ

Papæ. His verbis & illis, quæ vsque ad vndecimam pagellã sequuntur, hic subest sensus: Carolus V. eiusq; filius Philippus, Iesuitarum operâ vsi sunt: Iesuitas Hispanos effectos, opibusq; immensis locupletatos, in vniuersum terrarum orbem emiserunt, & præsertim in Galliam, in quam clanculum irrepserunt, vt eam Hispano, tandem subiugarent. Voto Obedientiæ astringunt se Iesuitæ Papæ, Regi Hispano, & Generali Hispano; preces fundunt pro salute Regis Hispani, & non pro incolumitate Regis Gallię. Sunt igitur Iesuitæ Hispani, & omnium malorum Galliæ auctores, ex qua necessariò expellendi sunt. Hæc tuorum verborum sententia est, & vt sic loquar, *substantia*: quibus manifestè ostendis, te semper *Arnaldum* esse, hoc est, enormem sycophantam & calumniatorem non modò Iesuitarum, sed & omnium mortalium, quorum alios *corruptores* & *auaros* nominas, vt taceam, ne ipsam quidem Curiam Romanam intactam à tuis maledictis relinqui. Sed quid mirum, te tanta linguæ procacitate vti, hominem Dei expertem & atheum: atheis enim te annumerandum esse inde liquet, quòd ille tibi insignis & præ cæteris suspiciendus videtur, qui Religionem regnandi gratia vel admittit vel dimittit; cùm eiusmodi homo neque bonus ciuis sit, neq; Christianus, sed fatuus & atheus Machiauelista, fidei & rationis orbus. *Arnaldus Machiauelista.*

Laborat porrò tota tua ratiocinatio duobus tantummodò vitiis, nec pluribus laborare potest: Alterum est falsitas *antecedentis*: Alterum ineptia & stolliditas omnium *consecutionum*, quas ex illo antecedente deducis. Falsum est Carolũ V. Iesuitarum operâ vsum esse; & vt maximè verum esset; num propterea rectè colligitur, Iesuitas totos in Hispanorum mores & naturam transiisse, atq; adeò Hispanos effectos esse? Carolus IX. Christianissimus, & nunquam intermoriturę memoriæ Rex, & alij reges Galliæ aliquando vsi

Carolus IX. u. sus est opera Hispanorum, ut & alij Reges.

sunt Hispanorum operâ, vt & Heluetiorum & Germanorum: suntnè tales effecti Galli? Quòd si exteri Galli effecti sunt, quia operam suam Regi Gallię locârunt; nihil obstat, quò minùs Iesuitæ patria & origine Galli, tam facilè sint & manserint Galli propter obsequia Regibus Galliæ præstita, quàm facilè illi peregrini effecti sunt Galli, cùm tamen primo ortu minimè essent Galli.

CAPVT VII.

Carolum V. Imperatorem non esse vsum opem Iesuitarum, vt mentitur Arnaldus.

SED examinemus iam, quàm verè dixeris, *Carolum V. Iesuitarum operâ vsum esse, eosq; in Hispanos transformasse*, vt haberet machinationum & molitionũ suarum idonea instrumenta. Natus est Carolus V. Anno Domini M. D. Imperator electus Anno XIX. præcipua bella gessit eo temporis spatio, quod inter annum XXIX. & LV. interiicitur. Iesuitarum Ordo confirmatus est Anno XL. hac tamen cautione, vt ne sexagesimum personarum numerum excederet. Si tempus, quo Carolus V. ad Imperium euectus est, coniungere velis cum tempore, quo Societas Iesu à Pontifice est approbata; oportebit te non decẽ dies, vt nuper Gregorius xiij. fecit, sed viginti & eò amplius annos integros magno sanè compendio ex eo temporis interuallo eximere. Quod si factu nefas est; quomodo Caroli V. tempora cum Iesuitarum exortu & in mũdum aduentu copulabis? Et si duo hæc tempora consociare nequis; qua fronte mentiris, ipsos eodem quasi temporis puncto enatos prodiisse? poterátne Imperator aliquid de Iesuitis decernere, antequam in rerum natura essent? poteratne illos tanquam Hispanos ad vsus suos adiũgere, & tam immensis

immensis thesaurís cumulare? Porrò, vt in Chronologia tẽporisq; accurata notatione, ita & in Narrationis tuæ accommodatione imperitè hallucinaris. Nam etsi à veritate alienum non esset, Iesuitas eodem tempore, quo Carolus Imperii thronum conscendit, extitisse, quo tamen argumento vel in speciem probabili probas, eos ab Hispanis tot opibus auctos, totq; reditus & prouentus annuos accepisse tot tantisq; deductis coloniis? Cur non expressisti fundatorũ tam liberalium nomina? Cur siluisti nomina Comitatuũ Hispaniæ ac Italiæ? Cur nobis non descripsisti, vndenam Iesuitis illę tot auri myriades quotannis obtingãt? Cur nõ solida aliqua ratione ostendisti, Imperatorem, vel filium eius Philippum, adeò munificos in Iesuitas fuisse? Num à nobis postulas, vt quidquid dicis aut scribis, id sine vlla disquisitione tanquam diuinum & à Propheta quodam editum oraculum prono assensu credamus? An non vel hinc manifestum euadit, te *Arnaldum esse*, hoc est, mendacem & impostorem, qui nobis persuadere coneris, quod ne vllã quidẽ verisimilitudinis vmbram habet? Forsitan opinabaris, impunè tibi mentiendi de tantis reditibus, totque millenis auri talentis, datam esse potestatem, vt illis, qui ex longinquis regionibus noua nunciant. *Arnaldi imperitia.*

Eiusdem notæ est, quod in quodam Epilogi tui loco narras, *Iesuitas Gallicanos Anno Domini M. D. XXX annuam pensionem ex Hispania percepisse, & hoc ipsosmet testari ais.* Sed iam de monstraui, Iesuitas illo Dñi anno M. D. xxx. necdum extitisse, sed decennio pòst; neq; in Galliam venerunt, nisi anno M. D. L. & exiguo quidem numero. Neq; vnq; probare poteris, vel verbo vel scripto testari Iesuitas, id quod ipsos testari mentiris, ita vt duabus lineis tot ferè mẽdacia attuleris, quot verba. Sed de Iesuitarum diuitiis postea agemus. *Mendacia Arnaldi.* *Quo anno Iesuitæ in Galliam uenerint.*

Verùm his omissis, cõfero me ad id, quod hoc loco præcipuum

cipuum est, cupioq; vt me doceas, quomodo Carolus V. vsus sit operâ Iesuitarum ad occupandum Occidentis Imperium? hoc cùm tuæ Narrationis firmamentum & fundamentum sit, nisi perspicuè probaueris, necesse est, vt tota, quam extruxisti, machina corruat. Neque aliud pro tui defensione afferre potes, quàm quòd ipsorum operâ vsus sit Anno Domini M. D. XL. postquam videlicet Societas à Pontifice approbata fuit. Sed meminisse tamen debes, te hoc responso præpropero minimè satisfacturum. Vt enim agnoscerentur, temporis progressione opus erat, cùm supra sexaginta non essent. Expectare itaq; oportuit, dum iusto numero Magistri tot occupationibus districti multiplicarẽtur, vt & Collegia passim ædificarẽt, & id quod animo conceperant, effectum trãsactumq; daret. His accedit, quod nõ modò impium, sed & ridiculum & prosus incredibile sit; tantum Monarcham, cui tanta potẽtia belli gerendi Orbisq; subiugandi suppetebat, religioni non duxisse, Religione ad suum Imperium propagandum abuti, tam certa & præsenti salutis æternę iactura; aut Religiosorum virorum adeò fuisse indigum; vt præter Iesuitas ea tempestate vix natos, nõ reperiret alios conatuum suorum adiutores. At quonam ore nos intueberis, si proprio Caroli V. testimonio demonstrem, ipsum Societatem hanc non cognouisse, nisi postquã Imperio sese abdicauit, Regnorumque omnium administrationem Philippo filio transcripsit, qui tum vigesimum octauum ætatis annum agebat? Si hoc probem, non video, qua ratione amplius dicturus sis, Carolum V. ad orbis dominatum inuadendũ Iesuitas administros adhibuisse.

CA-

CAPVT VIII.

Ostenditur ex Ribadeneira Carolum V. Imp. vix nouisse Societatem.

REM porrò ita sese habere, docebit te is, quem libenter citas, Ribadeneira, qui in vita Francisci Borgiæ Iesuitę, Ducis quondam Gandię, & nomine & loco eiusdē Imperatoris Cataloniæ Proregis ait: Franciscum quinquennio à conuersione venisse in Hispaniam, atque Imperatorem Dominum suum in Monasterio Iustæ, Ordinis S. Hieronymi, quo superiore anno vitę religiosæ inibi degendę gratiâ secesserat, officii caussa adiisse; Imperatorem autem aspectu prædicti Borgiæ mirabilem voluptatem cepisse, quod corām intueretur, reipsa iam eum præstitisse id, de quo quatuor antè annis certior factus esset. Præter cætera in hanc cum illo egisse sententiam: Sibi quidem vehementer placuisse & ædificationi fuisse, cùm Augustæ Vindelicorum ex literis intellexisset, ipsum mundo valedicendi tam salutare consiliū iniisse; mirari tamen se etiam atque etiam, hominem ea fortuna, dignitate, & conditione tot antiquis Religiosorum familiis relictis delegisse planè nouā, neq; omnium adhuc sùffragiis approbatā, & de qua varii sermones à variis in vtrāq; partē sererentur: Cùm enim de eligenda Religione agitur, eā vtiq; cęteris esse præponendam, quę antiquitatis honore potissimùm emineat. Ad quę Borgia paucis; Religionem hanc nihil, quod ad fidem spectet, innouasse, vtpote quæ idem sentiat & credat, quod Catholica Ecclesia semper sensit & credidit: Si autem propter peculiare suum institutum, viuendiq; rationem noua censeatur nullam omninò reperiri Religionē, quæ nō aliquando æquè noua fuerit ac ista; neq; magis eam quòd minorennis sit contemni, legitimaq; portione &

Colloquium Caroli V. cū Francisco Borgia.

Prudēs responsum Borgiæ.

Omnis Religio aliquando noua fuit.

one & iure suo priuari posse, quàm alios Religiosos Ordines, cùm eiusdem essent ætatis, satq; roboris & auctoritatis, eidem vel inde accessisse, quod Ecclesiæ & summi Pontificis calculo comprobata in albũ familiarum Christi adscripta fuerit, iisdẽ quibus illæ priuilegiis & immunitatibus exornata, hocq; testimonium longè maius esse, quàm quod à temporis diuturnitate petitur. Neque verò ipsius Ecclesiæ prima quasi incunabula obstitisse, quò minus pietate & omni virtutum genere quàm maximè floreret. Permultos quidem inueniri, qui de Societate varios rumores spargant: Alios calumniandi cupiditate, quòd Societatis institutum ignorent: alios odio & id genus similibus animi affectionibus impulsos; hos autem oblocutores & detractores, non esse digniores fide illis, qui in Societatem ascripti, totam eius viuendi rationem propiùs exploratam haberent. Se quidem eo semper prædictum fuisse animo, vt si aliud quid præter eximiam vitę sanctimoniam in ea deprehendisset, nomẽ suum in Societatem nequaquam daret, aut iam datum non derepentè expungeret; si post ingressum, aliud quàm quæsiuerat, reperisset.

Laudat Carolus V. sententiam Borgiæ.

Hanc orationem cùm Imperator vehementer collaudasset, non ignarus Francisco virtute, religione, & veritate nihil esse antiquius, simulque interrogasset, num quod ferebatur, verum esset, in Societate nullos senes & ætatis prouectioris, sed iuuenes tantùm viuere; Borgia subridens: *Quid mirum*, inquit, *ô Imperator, si matre tam iuuencula, tamque viridi æuo, filii necdum canescant: veniet labentibus annis canities: Ipse tamen iam quadragesimum sextum ætatis annum attigi, mecumq. agit Sacerdos, qui sub ingressum in Societatem sexagenario maior erat.* Et hæc est summa eorum, quę ex illo colloquio ad nostrum propositum conducunt.

Neque inutile erit, describere Epistolam, quam Imperator

tor Augusta ad Borgiam dedit. *Illustris Dux & cognate, literas tuas accepi per Casparum Buillalonium, & quamuis propositum illud tuum valedicendi mundo, resque mortales cum cœlestibus commutandi desiderium vehementer laudem & approbem; non dolere tamen non possum, vt ratio iubet & exigit: verum dolor, quem capio, non impedit, quò minùs id, quod à me postulàs, liberaliter tibi concedam, videlicet vt Ducatum & ditionem tuam filio tuo Carolo tradam; libenter votis tuis annuo. Persuadeo autem mihi, plures extituros, qui factum tuum inuidè carpant, quàm qui imitentur. Illud enim cuiuis promptum est & obuium, hoc labore & sudore eget. Cùm verò tuos liberos deseras, obstringis me, vt eos, resq; eorum in meam fidem & clientelam recipiam, quod & faciam, pro eo ac meritus es; spero fore, vt studio tuo parte & comparata ipsi pro viribus conseruent & tueantur. Rogabo Deum, Dux illustris, vt sanctis tuis consiliis rector & moderator adsistat, cui in tuis precibus, nostra quoq; & totius Christianæ Reipub. negotia cõmendes velim. Augustæ 12. Februarij M. D. LI.* Epistola Caroli V. ad Borgiã.

Ex quibus omnibus videre potes Arnalde, si tamen oculis non es captus, Carolum V. de hac Societate nihil præter auditum habuisse aut sciuisse; longeq; aliter de ea locuturũ fuisse, tum in colloquio cum Borgia, tum in epistola ad eundem, si tam familiariter, vt tu fingis, Iesuitarum operâ fuisset vsus. Pluribus enim declarâsset suam in eum Ordinem beneuolentiam, tanquam multorum annorum curriculo probè cognitum, magisque laudasset Borgiæ consilium, quòd Societatem sibi adeò deuotam & addictam amplecti cogitasset. At cùm tam parcè de Societate loquatur, ostendens se potiùs velle discere, qualis sit, quàm de ea iudicium ferre, perspicuè intelligitur, eam illi non nisi tenuiter admodũ fuisse cognitam, fieriq; non posse, vt ipsius operâ vsus sit in rebus politicis, & ad Rempub. pertinentibus, vt tu persuadere contendis; cùm in Monasterium *Iustæ* sese abdiderit Anno M. D. LV. biennio aut triennio ante suum obitũ. Carolus V. uix nouit Societatẽ Iesu.

Mors Caroli V. Mortuus est enim Anno Lviij. sæculi & suę ætatis. Quòd si alicubi legas, Collegium Societatis ab ipso fundatũ & dotatum esse, vt Panormitanum in Sicilia, id non tam fecit, quòd Societatem familiariter & interiùs nosset, quàm rogatu ciuium illarum ciuitatum, quibus extruendis Collegiis gratificari cupiebat.

CAPVT IX.

Philippum Regem sero agnouisse Societatem; & Arnaldum Hæreticum esse.

QVO igitur ore, qua conscientia, impostor, fingere & affirmare audes, Carolum V. *Iesuitarum operâ vsum esse, eosq; Hispanos effecisse, totq; diuitiis cumulâsse*, cùm ipso variis bellis in Europa & extrà occupato, Iesuitæ nondum extiterint; & vbi extiterunt, vix ab Imperatore ad finem vsque vitæ agniti fuerint? Effice rogo, vt capiam istud tuum mysterium omnium sanè mirificissimum: annè decem ista millia Iesuitarum futurorum, qui reipsa nondum erant in rerum natura, collocabat fide duntaxat in *Campania*, eo modo, quo Caluinistæ fide ponunt corpus Christi in Eucharistia, licèt interea à firmissimè credant, illud quàm longissimè ab Eucharistia abesse? Vtebatûrne istis ducentis futuris coloniis velut ducentis Heluetiorum pagis, quos *Cantones* appellant? Animóne & cogitatione efformabat & destinabat in mundum istos *Comites*, istos *Cardinales*, istos *Barones* Italiæ & Hispaniæ, qui post triginta annos nascituri erant, vt in Occidente rerum potiretur, eo modo, quo Othomannus in Oriente? Platonis ideæ intellectu per quam sunt difficiles; sed istas tuas longè magis arduum est intelligentia assequi; etsi hoc quoque distãt, quod

quòd ideæ Platonicæ nonnihil veritatis & sapientiæ tuæ, præter stultitiam, mendacemque vanitatem nihil penitùs contineant.

Initio tui Exordij, simul atq; os aperuisti, mendacia non pauca protulisti: nec in Narratione à te degeneras, sed iisdē imposturæ & inscitiæ inuolucris te implicas, aperteq; ostendis, te tam imperitum artis narrandi & confirmandi, quàm exordiendi. Prima historiæ lex est *Veritas*; tu tamen cùm te pro Historiographo vendites, ne eminùs quidem veritatē aspexisti. Narratio omnis breuis esse debet, totius facti cōplexio perspicua, vera, aut minimum verisimilis. Qua in re insipientiùs peccare non poteras quàm peccasti: nam vt demonstrares, Iesuitas omnium malorum esse auctores, rē arcessisti non à capite, sed à Carolo V. cuius Imperium Societatem viginti integros annos antecessit, vt non immeritò insipientia similis videaris illi, qui vt poëta irridens cecinit: *Quam inepta narratio Arnaldi.*

Gemino bellum Troianum orditur ab ouo. *Horat. ad Pis.*

Taceo, te non nisi ineptè ad propositum tuum confirmandum iunctim adduxisse patrem & filium, quippe Philippo necdum in lucem edito, cùm Ignatius à sæculi vanitate ad Deum conuersus est. Adde, quòd Rex ipse Philippus non nisi septem vel octo annis ab obitu Caroli parentis Societatis institutū penitiùs & certiùs cognouit, vt apparet ex epistola, quam ad Iesuitas dedit Anno salutis M. D. Lxvj. cùm scilicet ad amplificandam Christianam Religionem in *America* & *Florida* eorum operam & industriā expetiit. Initio enim illius epistolæ ait, *se ad hanc petitionem inductum esse communi hominum sermone & fama, quam virtutibus suis apud omnes concitarint.* Quod si vetustatis amore capiebaris, laudisque aliquid ex hac re venabaris; poteras Narrationem tuam exordiri à creatione mundi, aut à diluuio, meliori vtiq; con-

nexione & conuenientia, cùm Iesuitarum origo magis ab Adamo vel Noë dependeat, quàm ab Imperatore Carolo. Accessisset etiam historiæ tuæ non modò maior antiquitas, sed & grauior auctoritas. Porrò, vt Narratio tua informe quoddam & horrendum monstrum est: ita nec confusione & obscuritate caret, vt vbi verseris, ignorare videaris. Nam à cepis ad alia transilis; totque quæstionibus & materiis te inuoluis, quot verbis, tantoq; discrimine disiunctis, quanto distat cælum à terra, sine vlla veritatis cura & studio, vt iã suprà ostendi.

Verũenimverò quia hoc loco hæreseos tuę venena præsentiora & pernicíosiora euomuisti, necesse est vt paremus antidotũ, antequàm vlteriùs procedamus. Iã suprà demonstraui, ex modo loquendi tibi familiari te iure hęreticũ censeri. Idem nunc ostendã ex opinionibus, quas amplecteris. Sic enim & prior probatio solidior, & refutatio validior existet. Induis quidẽ aliquando personã Catholici, dũ Catholicorum loquendi modos fictè imitaris, vt rudiores fallas, idq; maximè facis sub finẽ tuę argumentationis: vbi, postquam multa contra Ecclesiam & Iesuitas detonueras, à nemine accusatus, sed tantùm conscientię stimulis & intemperie exagitatus, quæ tacitè tibi id, quod eras, suggerebat; vt tamen personam & speciem Catholici, qualis non es, retineres, ne improbitas tua omnibus innotesceret, addis; *te ob Inuectiuam in Iesuitas conscriptam nõ numerandum inter illos, qui Geneua aut ex Anglia prodeunt, hoc est, inter hæreticos, cùm ab ineunte ætate educatus fueris in Regio Nauarræ Collegio, & ad publica munia* (quę tamen retices) *euectus*, positis in inscriptione Philippicæ tuæ præsentibus & præteritis *Consiliarij, Procuratoris & Aduocati* titulis: poteras illos quoque adiungere, quos in futurum iam spe præcepisti, vel si mauis, deuorasti. Cæterùm ego planum tibi faciam, Hæreticos non ex solo lacu Geneuensi,

Arnaldus dissimulat se esse hæreticum.

Geneuensi, aut ex reciprocis Tamesis ad Londinum fluctibus emergere, scholamq; illam & magistratus non magis te ab hæreseos suspicione purgare & vindicare; quàm vel Ramum vel Bezam, vel similes, qui in Nauarræo Collegio & non in triuialibus scholis instituti & publicis officis perfuncti sunt. Attende iam, quonam modo te hæreticum esse doceam.

CAPVT X.

Prima propositio Hæretica ab Arnaldo defensa.

QVI Theses ac propositiones hæreticas, Lutheranas, Caluinianas, & similes tuetur & propugnat, is est hæreticus: id tu facis: Hæreticus igitur es. Negare non potes maiorem propositionem, & primam huius breuissimi Syllogismi partem. Quemadmodum enim ille niger est, qui nigrorem habet, vt æthiops: & ille ignorans, qui ignorantiam habet: ita ille hæreticus est, qui hæreses tuetur ac defendit. Quare concedere cogeris Maiorem, nisi velis non solùm hæreticus, sed etiam insanus iudicari. Restat ergo, vt probem, te hæreticas propositiones tueri, vt ita vndiq; constrictus tenearis. Ex multis nonnullas seligam, eas videlicet, quę Apostolicę Sedis auctoritatem attingunt, quam suprà modum hæreticorum instar odisti, primisque tuis iaculis statim appetis, cùm tamen veri nominis Catholici nihil prius ducant, quàm vt Sedis Apostolicę honorem, quoquo modo licet, propugnent integrumq; præstent: qua de causa vulgò appellantur Papistæ à filiis diaboli fratribus tuis.

Prima & generalis propositio hæretica, quam defendis, est, cùm Apostolicę Sedis doctrinam vocas *erroneam & schismaticam*

ſmaticam. Doctrina ſanctę Sedis eſt hæc: *Subeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ omnino eſſe ad ſalutem neceſſarium.* Tu gloſsam addis: *Ecce*, inquis, *quomodo nominatim & perſpicuè ſeſe conſtituit caput, Superiorem & Dominum abſolutè, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus omnium Regum terræq; Principum; ita quidem, vt de ipſis ſententiam ferat Iudex, regnoq; aut deiiciat, aut reuocat.* Confirmas gloſſam tuam ex Extrauag. cuius hæc verba: *vterq; ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubiici poteſtati. Nam veritate teſtante ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere debet & iudicare, ſi bona non fuerit, &c. Ergo ſi deuiat terrena poteſtas, iudicabitur à poteſtate ſpirituali.* In quæ verba ita commentaris: *Si propoſitiones iſtæ non ſunt erroneæ & ſchiſmaticæ, quid ſequitur niſi nos omnes, qui Regi obtemperamus, excommunicatos eſſe?* Argumentatio tua hæc eſt, vt video. Aut propoſitiones Pontificis ſunt erroneæ & ſchiſmaticæ; aut nos ſumus excommunicati: non ſumus autem excommunicati: ergo propoſitiones Papæ ſunt erroneæ & ſchiſmaticæ. Pontifex igitur, iudicio tuo, errat, erroriſque doctor & auctor eſt, quod eſt Pontificem cominùs petere, non vt priuatam quandam perſonam, Gregorium puta aut Bonifacium, neque vt priuata aliqua opinione vel perſuaſione imbutum, ſed vt caput Eccleſiæ, Chriſtiique Vicarium; quod nihil aliud eſt, quàm Apoſtolicæ Sedis auctoritatem & doctrinam funditùs labefactare: Nam quidquid in ſupradictis propoſitionibus comprehenditur, id etiam Sedes Apoſtolica & omnes Pontifices vno ore tradunt; Lutherus, Caluinus, noſtriq; temporis petulantiores hæretici non potuiſſent maiori in Pontifices iniuria hæreticos ſeſe oſtendere, quàm tu egregia hac

Extrauag. com. unam ſanctam, de maior. & obed.

tua

tua assertione ex imis inferorum sedibus eruta, & ex tenebricosis gurgustiis duorum istorum & similium, quos magistros sequeris producta: hoc enim est, totam Ecclesiam Catholicã ex ipsis fundamentis euertere; vereq; & Apostolicę doctrinæ cursum penitùs intercidere; Legesq; omnes, omnes Scholas & Vniuersitates, in quibus ius Canonicum explicatur, sepelire, & è medio tollere. Nam si asseueres, Papam docere & scriptis tradere hæreses; sequitur, dubium & incertum fore, quicquid dixerit aut scripserit: & si Decretalis à te citata *erronea & schismatica* est, vt post Caluinũ, Lutherum & omnes hæreticos asseris; dicendum erit, Concilium Lugdunense, quod ipsam approbauit, vt & totum sextum librum Decretalium, perniciosè errasse.

Arnaldus euertit totum ius Canonicum.

Vix poteras auum tuum Lutherum excellentiùs imitari, qui odio Pontificis incensus, Iuris Pontificii volumina publicis flammis in Germania incendit: quod ille fecit igne, hoc tu pro viribus procaci lingua facis. Ministri Anglicani Præceptoris sui vestigia insistentes extulerunt Anno M. D. xlvj. in feretris, & in cineres verterunt libros Scholasticos & Canonicos, cantatis, ludibrii gratiâ, mortuorum *Vigiliis & Officio*. Tu tuis illis axiomatis Gallos ad idem facinus excitas. Inficiari igitur meritò non potes, animam Lutheranam vel Caluinianam, hoc est, hæreticam in corpus tuum immigrasse: nam viri probi & in Christi schola educati, Catholici, inquam, ipsorumque Doctores, non modò reuerentur & colunt Summum Pontificem vt Christi Vicarium, & D. Petri successorem, sed & firmiter credunt, ipsum errare non posse, docendo ea, quæ ad fidem & bonos mores spectant.

Lutherus combussit ius Pontificium.

Idem fecerunt Ministri Anglicani.

Sanderus lib. 2. de schism. Anglic.

CAPVT XI.

Calumniæ Arnaldi in Pontificem.

NERVM minimè contentus, tuam te patefeciſſe impudentiam, vocando doctrinam Pontificum *erroneam & ſchiſmaticam*, longiùs adhuc progrederis, dum pontifices mendacio oneras: dicis enim, Pontificem in *Extrauag.* à te prolata *conſtituere & pronunciare ſeſe caput, Superiorem & Magiſtrum abſolutum, in ſpiritualibus, & in temporalibus omnium Regum & Principum terræ*, quod in contextu prædictæ Decretalis non inuenitur. Mirum profectò, te nullo addito Iuris titulo, nullo paragrapho, nulla Lege, præter iſtam Extrauag. adeò peritè eam te gloſſematis tuis illuſtraſſe, vt ex ſenſu & cerebro tuo extrauaganti, alia propemodum *Extrauagans* nobis ſit prognata. Peregrinabatur-né mens & cogitatio tua in Terceris inſulis? Fortè quando hæc dicebas & ſcribebas, eò evolauerat quæſitum nauem Ieſuitarum. Nam ſi præſenti animo fuiſſes, nullo negotio intellexiſſes (ſi tamen Latinam linguam intelligis) illam vniuerſalem, nullisq; limitibus circumſcriptam poteſtatem Papæ in Chriſtianos, ſpiritualem non temporalem eſſe. Praxis & conſuetudo loco interpretis ab errore te immunem ſeruare poterat, ſi extrauagantis illius ſtylus nimiùm tibi Latinus & ſubtilis erat. Nam conſuetudo eſt interpres quotidiana Legum. Nemo non videt Summos Pontifices neque eſſe, neque ſeſe nominare Reges temporales regnorum, quorum potius ſunt Patres ſpirituales. Neque vllum ius Imperij & dominatus vſurpāt ſibi in vlla regna, niſi iis in locis, vbi ipſimet ſunt Principes temporales ſimul & ſpirituales. Et quamuis Decretalis ſub conditione loquatur: *Si deuiauerit terrena poteſtas, iudicabitur poteſtate ſpirituali*; minimè tamen aſſerere debebas, Papam ſeſe pro Domino abſoluto, tempo-

Poteſtas Pontificis in Chriſtianos, ſpiritualis eſt.

temporali simul & spirituali omnium regnorum vendítare: Coniunctío enim illa, SI, quò minus in hæc verba erumperes, ducis loco tibi erat, si eam sequí voluísses: *Si bona non fuerit, si deuiauerit terrena potestas*. Significat hæc Coniunctio SI, Apostolicam Sedem cuiúis Principi relinquere ius & arbitrium gubernandi suas ditiones, salua tamen correctione & admonitione Patris & Superioris, si quando administratio illa redundaret in detrimentum Ecclesię, quam Pontifex totis viribus, imò proprio sanguine defendere debet, *cùm sit Dei Vicarius*. Qua de caussa sæpè coĕrciti sunt Principes à Pontificibus, magno cùm ipsorum Principum, tum Ecclesiæ emolumento. Sic compescuerunt Pontifices Fridericum Imperatorem supra modum insolentẽ & Reipub. pernicioſum, itemq; Regem Dagobertum, & alios moribus depravatos & vitiis inquinatos: neq; summi duntaxat Pontifices, sed & inferiores Prælati idem crebrò factitarunt prospero euentu, & nominatim S. Ambrosius, qui Theodosiũ Imperatorem, & ad truculenti facinoris salutarem detestationem adduxit, & ad meliorem frugem reuocauit. *Distinct. 96. C. Duo sunt.* *Theodosius Imper. correptus & correctus à S. Ambrosio.*

Porrò dicere, dominum spiritualem esse dominum absolutum, ea solùm de caussa, quòd in certis casibus dominis temporalibus aliquid præcipiat; perinde est, ac si quis affirmaret, hominem simpliciter esse nigrum, quòd pupillam nigram; aut æthiopem candidum, quòd candidos dentes habeat. Hæc argumentandi ratio propriè conuenit in hæreticos, qui ex particulari lege vel enunciatione colligunt vniuersalem. Nam, vt exemplis res fiat illustrior, mentiuntur hæretici, prohiberi ab Ecclesia Matrimonium, cibosque à Deo creatos, quòd matrimonium prohibeat Sacerdotibus & Religiosis, & quia certis temporibus interdicit certo ciborum vsu, quę sunt interdicta particularia, definitisq; temporibus, personis & circumstantiis comprehensa, ac proin- *Modus argumentandi Hæreticorum.*

de ea vt generalia, & ab omni hypotheſi ſeiuncta proponere, nihil aliud eſt, quàm impoſtorem agere: Neq; enim ſimpliciter prohibet Eccleſia Matrimonium, ſed tantùm mandat, vt fidem datam ſeruent, qui ſe ſuamq́ue caſtitatem per continentiæ votum Deo conſecrârunt, inito contractu non minùs firmo & inſolubili, quàm ſit ille nuptialis: nec abſolutè interdicit vllis ciborum generibus, ſed præcipit, vt aliquando per abſtinentiam ſeſe macerent, quibus id ætas & valetudo permittunt. Habes ergo primam eamque generalem propoſitionem hactenus explicatam, quæ te in hæreticorum claſſem coiicit, cuius confutatio ſatisfacere & poterat & debebat cuiùis intelligenti; vt ſibi perſuaderet, verum eſſe, quicquid in illa *Extrauag.* Pontifex aſſerit; falſumq́; & friuolum, quicquid in contrariam partem obieciſti. Sed vt tua hoc loco magis pateſcat impudentia, duas adhuc addam aſſertiones, easq́ue paucis refellam.

CAPVT XII.

Secunda propoſitio Hæretica Arnaldi.

ALTERA eſt, cùm profiteris, illam doctrinam eſſe *erroneam & ſchiſmaticam*, quæ tradit, neceſſarium eſſe ſub pœna damnationis æternæ, ſubiici Eccleſiæ capiti, quod eſt Papa. Quæ aſſertio cõtinetur in prædicta Extrauagante Pontificis Bonifacii, ad quam oppugnandam adducis multa, quæ alto ſanè ſilentio ſuppreſsiſſes, ſi quid prudentiæ, veræq́; probitatis Gallicanæ in te ineſſet. Ac principio quidem perſpicuè demonſtras, te eſſe hæreticum, quando eadem, qua hæretici, verborum procacitate hanc Extrauagantem condemnas, in quam omnes, qui ſe à Catholica Eccleſia ſegregârunt, non aliter quàm in *petram ſcandali* impingunt; quam & tu pro tua mode-

Extrauagãs Bonifacii eſt hæreticis petra ſcandali.

modestia *erroneam* appellas. Deinde pugna tibi est cum S. Bernardo, Abbate doctrina & pietate conspicuo, & genuino Gallo, ex cuius verbis & sentētia *hæc Extrauagans*, bonam partem contexta est. Ad extremū, vt tuum figmentum probes, exempla tibi arbitratu tuo fingis, non sine infamia Gallici nominis, vt paulò pòst dicam. Deprompsisti autem hāc tuam hæresim ex Luthero & Caluino, & hæreticis nostri seculi, omnis ataxiæ auctoribus, & omnis Ordinis iuratis hostibus, præsertim subiectionis & obedientię debitę Summo Pontifici, cum quo irreconciliabile bellum gerūt. Quia verò tibi tantum fortassis ingenii non suppetit, vt monumenta magnorum illorum hæresiarcharum euoluas, contentus fuisti lectione tui Blesii, qui vt strenuum Caluini discipulum decebat, chartas suas Magistri sui glossis, quasi carbone, egregiè signauit: duplici tamen nomine, quod obseruare te velim. in illa tua Assertione hallucinaris: Primò, cùm negas veritatem doctrinæ Catholicæ: Secundo, cùm eandem doctrinam *hæresim* arbitraris, & clara voce pronuncias, quòd te non modò efficit hæreticum, sed & effrontem calumniatorem; cùm tamen doctrina, quæ tradit, *neminem sine ammissione æternæ salutis ab obedientia Summi Pontificis sese abducere posse*, sit ipsissima Christi Saluatoris nostri doctrina, vt proinde tua Theologia, huic cælesti doctrinæ opposita, meritò audiat *perniciosa hæresis, & expedita præceps ad inferos semita*. Quod hac ratione demonstro: Quisquis sempiternam beatitudinem consequi appetit; eum necesse est, & Christianum, & Christi, & quod hinc sequitur, Petri etiam ouem esse, cùm non sit ouis Christi, qui non est ouis Petri; quandoquidem Christus Petro, Petrique successoribus, sine vlla exceptione aut restrictione, oues suas commendauit; hoc ter repetito oraculo: *Pasce oues meas, pasce agnos meos*. Quod mandatum omnibus Ecclesiæ Pastoribus in persona Petri editum,

Hæretici oderunt omnem ordinem & subiectionem,

Ioan. 21, S. Ambros. in cap. ult. Lucæ. Epiph. in Anchor.

S. Chryſoſt. in Ioan. capit. 21. S. Leo ſerm. tert. de ſuo Pō. tif.

ditum, omnes quoque Chriſtianos complectitur. Quapropter omnes Chriſtiani D. Petro, eiusq; ſucceſſoribus ſubiiciuntur, aut non ſunt Chriſtiani. Quòd ſi omnes Chriſtiani ſunt ſub cura eius, qui Eccleſiæ caput eſt, hocq; caput ſit Summus Pontifex; oportet profectò, vt ipſe Chriſtianos omnes regat, dirigat, cœleſtisq; doctrinæ pabulo paſcat, nihilque eorum, quę ad officium ſeduli & gnari Paſtoris pertinent, prætermittat: & vt Chriſtiani, velut oues rationis nō expertes, Paſtoris ſui vocem audiant, niſi à beatorum ſedibus in omnem æternitatem excludi velint. Neque vllus in hoc terrarum orbe reperitur Imperator, Rex, aut Princeps, qui ſe ab hac obtēperandi lege eximere queat, niſi cupiat eſſe ouis ſine Paſtore, membrū ſine capite, Chriſtian⁹ ſine fide, ſine lege, ſine Chriſto, ſine cæleſti pabulo, ſine ſpe ſalutis.

Ouis maximè indiget paſtore

Hæc obſequēdi Eccleſiaſtico capiti, ineuitabilis neceſsitas, viuo & ſpirante exemplo, nobis repræſentatur in oue, quæ præ cæteris brutis animantibus opus habet, vt regatur & gubernetur ab homine tanquam à capite longè diuiniore; cætera animalia hac cura & quaſi manuductione vel penitùs carent, vel ſine magno incommodo carent, cùm ab ipſa rerum procreatrice natura, ad vitam defendendam, opemque ſibi ferendam, ſatis multa præſidia acceperint: At ouis licèt vtilitate, quam mortalibus parit, vix vlli ex animalibus cicuribus cedat; paucioribus tamen ſubſidiis à natura datis iuuatur, & pluribus morborū generibus conflictatur, pecus innoxium, inerme, & imbelle; quod cùm ſibi neque dux eſſe, neque medicinam facere poſsit; tametſi ſcabiei, aliisque morbis perpetuò obnoxiū, hoſtisque inſuper verſutus, callidus, violentusque eidem ſemper immineat, omninò opus fuit; vt excellentioris cuiuſdam gradus & ordinis Paſtorem ſortiretur, qui prudentia & virtute cuncta impendentia mala propulſaret; is homo

eſt,

est, qui ouem pastum agit, à lupi insultibus protegit, securamque foris & in ouili præstat, curam agnorum gerit, lanamque luxuriantem & exuberantem detondet; absq; qua cura & tutela, neq; vitam ducere, neque fructum vllum proferre liceret. Eadem est Christianorum omnium ratio. Nam inter homines, qui præter corporis emolumenta nihil aliud expetunt, vitamq; brutorum more degunt, quidam secreti ab aliis leonum, tigridum & vrsorum instar, æuum agitant, quales olim nondum constitutis Rebuspub. syluicolæ, & nunc etiam illi, qui Societatem humanam fugiunt. Alii socialiter quidem in vnum conueniunt, imitati grues, ceruos, formicas, mutuisq; operis & adminiculis sese subleuant, sed sine Rege, quæ vitæ ratio multis nationibus etiam num placet. Quidam apum ritu Regi obsecundant, vt Turcę & Tartari, aliiq; à Christiana fide alieni, qui oues Christi non sunt, præsentibus tantùm addicti, & nihil supra communẽ hominum naturam edocti, qui omnibus suis cogitatis & actionibus nihil aliud, quàm hæc fluxa & caduca quærunt, & ob id iure optimo pecudes potius, quàm homines censentur. At Christianus, pars ouilis Christi, finem sublimiorem & præstantiorem spectat: & quandoquidem illi cum atrocibus hostibus perpetuum certamen ineundum est, non potest ad prædictorum normam, vitam & mores componere; sed opus habet capite, cæteris excellentiore & eminentiore, quod cælesti quadam vi & spiritu pollens, ipsum ad finem exoptatum deducat; pascua & arma, quibus in hostem pugnandum, & medicamenta, quibus sananda vulnera, demonstret, aliâs nequit inter oues Christi numerari, imò periculo sese exponit, ne lupo præda fiat, aut in lupum, leonem, aliamúe truculentam bestiam transmutetur, sine spe beatitudinem consequendi.

Christianus omni similis.

Discrimen inter Christianos & infideles.

CAPVT

CAPVT XIII.

Qua fide exempla Regum Galliæ Arnaldus adduxerit, vt hæresim suam confirmaret.

SI dicas, vt quidem videris dicere, *quemlibet in sua Repub. posse censeri ouem Magistratus & capitis sui sub Christo*; nihil aliud efficis, quàm quod te prodis, non Gallum Catholicum, sed hæreticum Anglũ, cùm introducere velis Rempub. Anglicanam, in qua Rex *Papa*, Regina *Papissa*. Sed ouile Christi respuit eiusmodi capitum multitudinem: quia Monarchicũ est, hoc est, Resp. in qua penes vnum tota rerum summa, à quo vno velut capite reliqui omnes pendent, qua Reipub. forma perfectior & pulchrior nulla reperitur. Hoc caput absolutum & omnium princeps est ipse Christus, qui ob id Regis nomen ipse sibi tribuit apud B. Dauidem: *Ego*, inquit, *constitutus sum Rex*: & Christiani propter caput hoc appellantur, *regale sacerdotium*, hoc est, populus vnctus sub vno Rege. Porrò vt vnitas istius capitis accuratè repræsentetur, & Christianorum oculis subiiciatur, requiritur, vt vnus tantùm sit generalis Vicarius. Nam si multi forent, repræsentatio & figura à veritate discreparent. Ecclesia dæmonis, confusionis synagoga, meretrix illa est, quę draconi multorum capitum & cornuum insidet: sed Christi Ecclesia vnum corpus pudicitia & sanctimonia insigne constituit; varium quidem membris, sed vnum coagmentatione eorundem in vno capite Christo. Ecclesia Sathanæ & hæreticorum multis membris ad vnam exitii sempiterni metam tendentibus constat, sed cuilibet illorum membrorum propriũ caput, vt vulpibus Samsonis, quæ caudis colligatæ, capitibus in diuersa ruebant. Ecclesia Christi, varias oues complectitur, sed vni pastori concre-

Arnaldus in Galliam introducere conatur Rempub. Anglicanam.

Ecclesiæ regimen Monarchicum.

Psal. 2.

1. Pet. 2.

Apoc. 12. Hæreticorũ synagoga est multiplex.

Iudic. 15.

concreditas, & multos milites, sed sub vnius Imperatoris vexillo militantes. Propter hanc membrorum ex vno capite aptè connexorum vnitatem, vocatur Ecclesia *vna*, conuenienter videlicet doctrinæ Apostolorum & Doctorum. Nã corporis vnitas, æstimatur ex vno capite, ad quod multa membra & partes referuntur. Quin & ipsi inferiores pastores, comparatione primi capitis, membra sunt. Vt enim in Monarchia omnes Magistratus subiiciũtur vni Regi, quamuis multa sint diuersis in locis capita, quasi *particularia*, ita & hîc. Quòd si vnum caput est in Ecclesia, oportet vt imperet; si imperat, oportet vt imperata faciant omnes illi, quibus salus æterna cordi.

Ecclesia dicitur una ab uno capite.

Cæterùm exempla, quę ad stabiliendum dogmatis tui errorem adducis, partim malè intellexisti, partim mala fide produxisti. Ais, *extitisse Reges Franciæ, qui Papæ restiterint.* Non abnuo: sed quid hoc ad rem faciat, non video. Nam si ex huiusmodi historiis colligere vis, non esse obtemperandum Sedi Apostolicæ; pari ratione concludam, non esse obediendũ Regibus, imò nec ipsi Deo, cùm multi cõtra legitimos suos Reges arma tulerint, multiq; principes leges diuinas in postremis habuerint. Quod si nimiũ tibi hoc argumẽtandi genere colligi videtur, necesse erit, vt mala illa exempla dimittas, vel ad alium vsum reserues, neque Catholicis audientibus explananda & amplificanda suscipias. Nam cùm de imitatione agitur, virtus proponenda est vt imitanda; vitium, vt fugiendum. Nam viri probi in sceleribus nihil, quod imitentur, multum verò quod oderint & detestentur inueniunt. Deinde respondeo, Reges quos citas, tanquam pontificii throni contemptores, in omnibus suis cum Pontificibus controuersiis, eos vt superiores agnouisse, & vt D. Petri successores, Christiq; Vicarios coluisse. Philippus Pulcher, quem pro te adducis in scripto Principum suorum pri-

Exempla mala fide ab Arnaldo citata.

Malum exemplum nõ est ad imitationẽ proponendum.

Philippus pulcher.

Tillet in Epitome sua pag. 172

uata sententia ad Bonifaciũ viij. Anno M. CC. xcvij. missō, profitetur agnoscere se subditum Papæ *in spiritualibus*, vt ait, seq; paratum esse Apostolicę Sedi in rebus ad animæ salutem pertinentibus obedire. Miror sanè te in historia vel tam ignarum esse, vel tam malitiosum, vt istum Regem hæreticis accenseas, dum mentiris, *eum ad Pontificem scripsisse, Papam nihil in Reges Galliæ potestatis habere.* Sed maior adhuc me tenet admiratio, quòd ausus sis exemplorum tuorũ farraginí admiscere S. Ludouicum; qui vt cæteros Reges sanctitate vitæq; innocentia, ita cultu quoque & veneratione Sedis Apostolicæ, & obedientia Pontificibus præstanda, longo post se reliquit interuallo, vt ex historia rerum ab ipso gestarum & ex Galliæ Chronicis liquet. Alia quæ adducis de Carolo vj. & Ludouico xij. argumenta, sunt tuę non veritatis, sed improbitatis. Nunquam enim negarunt Summorum Pontificum spiritualem potestatem, neque Pontificibus summa cum reuerentia obtemperare recusarunt. Concilium autem Turonense, sub Ludouico xij. congregatum, vt deliberaretur, qua ratione agendum esset cum Summo Pōtifice super quibusdã controuersiis, quę Regi illi cum Pontifice intercedebant, palàm ostendit, quantum Rex ille Sedi Apostolicæ detulerit, quamq; Religiosè cauerit, ne quid Christianissimo Rege indignum perpetraret.

De Ludouico xij. & Turon. Concil. anno 1510. celebrato Annal. Gallicani.

De Tanquarello.

Quod ad Tanquarellum Baccalaureum attinet, mentiris sycophantæ & impostoris more, cum scribis eum *mulctam subiisse honorariam*, quòd ausus fuisset defendere inter theses suas, à Papa posse excommunicari Reges. Nam Tanquarellus nunquam pœnas dedit, quod hanc thesin propugnãdam susceperit, sed quòd nimium imprudenter & importunè de temporali potestate Pontificis disseruerit; neque alia ei mulcta impositа fuit, quàm vt plenius & planius sententiam suam explanaret, ipsumq; decretum in Baccalaureum

à Senatu

à Senatu editum spiritualem Pontificis potestatem, cuius effectus est *excommunicatio*, libẽter agnoscit: & quisquis Senatusconsultum illud legere volet, is perspicuè tuã ad mentiendum proiectam libidinem deprehendet. Relíqua quæ adfers ex vetustis tuis quisquiliis, vt omni auctoritate, ita & omni probabilitate penitùs destituuntur, nec video, ad quid conducant, nisi quod te ostendunt esse hæreticum & calumniatorem; in cuius pectore, ne mica quidem candoris & sinceritatis insit. Ad extremum intolerandam & quoùis supplicio coẽrcendam iniuriam irrogas Regibus & populo Galliæ, cùm eos producis & traducis velut exempla & paradigmata eorum, qui Summo Pontifici debitum honorẽ deferre abnuerunt: nam si vlli vnquam extiterunt Reges dicto audientes Pontifici, si vllus vnquam ab hominũ memoria fuit populus Pontificis obseruans; ij fuerunt Reges Galliæ & populus Gallicanus. Et quod pluris faciẽdum est, si vnquam fuerunt Reges & populi munificentia in Sedem Apostolicam insignes, & eius defendendæ gratia in periculis vitæ fortunarumq; adeundis promptí & alacres, ij sunt Reges & incolæ Galliæ. Testatur id Clodouæus primus Gallus, primus Christianus, & primus Rex Gallorum, qui simul atq; in Regem inunctus est, & suo & Regni sui nomine Legatos misit, qui Pontifici officii & reuerentiæ caussâ pedes oscularentur, & vt tunc loquebantur, *obedientiam præstarent*, coronamque auream muneris loco Romanæ Ecclesiæ, omnium principi offerent; quo significabat, vt ait Aimonius, se regiam dignitatem à Christo accepisse, illam què se nomine suo, suorumq; successorum Ecclesiæ sanctæ submittere, proq; eius gloria & maiestate totam regni potentiam exponere velle sub signis & auspiciis Christi Vicarii, quem vt sibi à Deo in spiritualibus præfectum libenter & reuerenter agnoscebat. Testantur idem Cledouæi filii

Reges Galliæ omnes superarunt obseruantia & munificentia in sedem Apostolicam. Clodouæus.

Aimon. lib. 1. cap. 24.

Posteri eius. & successores Reges, qui longissima serie mutuò sese excipientes, Apostolicam Sedem vnicè semper coluerunt & tutati sunt, nulla ratione laborum sumptuumué habita, imitati videlicet, velut veri & legittimi filii, progenitorem suum Clodouæum. Testantur denique idem iidem Galliæ Reges, qui suis literis communiqúe sermone & colloquiis familiaribus Summos Pōtifices appellare consueuerunt, *suos sanctissimos Patres*: neque vllus Galliæ sceptra tenuit, qui initio sui Regni non detulerit obedientiam Summo Pontifici; idque vel coràm & per se, vel ministerio Legatorum, addita insuper hac testificatione, se id non facere vrbanitatis tantummodò & moris, sed eius officii gratia, quod filius patri, & quiùis Christianus Christi Vicario debeat. Et hæc tam prompta obedientia, & Sedis Apostolicæ obseruantia Regibus Francię *Christianissimi* cognomentum peperit, & vt Ecclesiæ filii primogeniti appellarentur effecit, immortali nominis Gallicani gloria. Nam *Ecclesiæ filium dici*, est, vt S. Ambrosius ait, *titulo omnium honorificentissimo decorari*, vocariqúe *filium primogenitum*, Ecclesiæ nota quædam est, & indicium eximiæ cuiusdam erga Sedem Apostolicam reuerentiæ & obsequendi voluntatis. Hæc obedientia causa fuit, cur Summi Pontifices & Oecumenica Concilia tam honorificè de Galliæ Regibus loquerentur & scriberent, vt Clemens V. & Concilium Aurelianense, vt infinita alia huius generis testimonia præteream. Hæc obedientia Regibus Galliæ, eorumq́; Legatis primum locum in Conciliis aliisq́; Ecclesiæ conuentibus comparauit, nominisq́; Gallicani maiestatem ad extremas vsque orbis partes dididit, vt omnibus amori & veneration esset. Hæc denique illa virtus est, quæ Monarchiam Gallicam, tot annorum seculis florentem, omniqúe rerum copia abundantem reddidit; vt pote fundatam roboratamqúe fide, obedientia & diuina charitate, in illius

Ommes Reges.

Reges Galliæ à sede Apost. uirtutis gratia honorati.

Orat. contra Auxentium.

Dist. 96. ca. si imper.

Clemen V. Extrauag. com. de Priuileg. cap. Meruit.

in illius petræ firmitate & soliditate, quæ aduersus ipsos etiam inferarum portarum assultus immota persistit; quo velut euidenti argumento ostendit Deus, se, quemadmodum per Verbum, filium suum, mundum condidit, & per eundem regna mundi administrat & regit, iuxta illud de diuina sapientia: *Per me Reges regnant, & Legumlatores iusta decernunt:* ita etiam illorum Principum imperia stabiliat & conseruet, qui singulari quodam cultus genere filio suo sese deuouerint, eique in sua Ecclesia & Vicario honorem & reuerentiam exhibuerint. *Quid firmet regna.* *Prouerb. 8.*

Tu tamen his omnibus nequaquam præpeditus, tam stolidus es, & adeò in Repub. Gallicana malè versatus; vt exẽpla contemptæ Sedis Apostolicæ, ex Gallicis historiis petere audeas; obscurato, quà potes, Ecclesiæ illius splendore, quæ Regum nostrorum, omniumque Galliæ indigenarum *communis mater* iure appellatur; idque eo fine, vt idolo tuo, quod mente mendaciter concepisti & adumbrasti, nonnihil fucatæ pulchritudinis concilies: sed nimium sanè efflictim errorem tuum deperis; cùm eius condecorandi gratiâ, & patriæ & Regibus, eam, quam à ducentis suprà mille annis existimationem adepti sunt, detrahis. Produxissesne huiusmodi historiolas, si veri nominis Catholicus & Gallus fuisses, etiamsi maximè verę essent? Tantúmne animi & spiritus tibi sumpsisses, vt huiusmodi narrationes amplificares, verborumque coloribus & pigmentis exornares? Annon tu sceleratior illo Cham, patris sui verenda propalante, cùm talia probra & dedecora de tuis Regibus, progenitoribus, & de patria, progenitrice tua, mendaciter cõminiscéris? *Genes. 9.*

CAPVT XIV.

Tertia propositio Hæretica Arnaldi.

ALIA hæresis à priore non multum diuertens illa est, cùm agis, *Papam in Reges nullam potestatem habere*, cumq; assentatorum, vel potius vulpiũ more exemplis mala fide adductis persuadere conaris, *Romanas excommunicationes à Principibus nihili pendendas esse*, præcipuè tum, cùm Papa temporalis aliquid potestatis in regna sibi sumit: cùm Christus dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Verùm si Reges Ecclesię caput reuereri & colere debent, vt antea demonstraui, rectè colligitur. Ecclesię caput, patremq; Christianorum accepisse in eos, nimirum membra & filios Ecclesiæ, aliquid potestatis, aliâs frustrà esset caput & pater, cùm iuxta Logices præceptiones, *relata sese mutuò consequantur, ponant, & tollant.* Quamobrem si Dominus est, oportet vt & subditi sint, qui Domini monitis ausculent. Porrò quòd summi Pontifices, & alii Ecclesię Prælati excommunicare possint, euidenter patet ex testimoniis Scripturæ, Sanctorum Patrum, & experientia: & hanc potestatem inficiari, est hæreticorum insaniæ & ignorantiæ succinere. Neque operæpretium arbitror, in huius rei probatione immorari: illud constat, Ecclesiam hac potestate non vti, nisi cùm id non modò ratio, sed & necessitas postulat. Nam excommunicatio omnium illarum pœnarum, quas Ecclesia infligit, longè seuerissima est, & vt S. Augustinus ait, *mors animæ*, & quod in veteri lege faciebat mortis supplicium in corpore, id modò facit excommunicatio in anima. *Hoc*, inquit iste Sanctus Doctor, *nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Et comparat id, quod dictum est in Deuteronomio, *Auferes malum de medio tui*,

Ioan. 18.

Quanta pœna excommunicatio.

In Deut. q. 59.

cap. 24.

tui, cum eo, quod ait S. Paulus, *Auferte malum ex vobis ipsis*: ibi per mortem corporis, hîc per mortem animę, quę est excommunicatio. Et vt illi, qui interficiebantur, non amplius erant de numero Iudæorum: pari ratione qui excommunicantur, delentur & separantur à populo Dei, membra spiritualiter emortua, & à corpore mystico Ecclesiæ præcisa. Excommunicatio est magnus ille gladius omnipotentis manus, quem Ecclesię suę dedit, quo non vtitur, nisi necessitate cogente in rebelles, contumaces, alioque medicamenti genere non sanabiles: neq; vibrat Ecclesia hunc gladium, *vt perdat*, ait D. Augustinus, *sed vt iuuet*, vtque iuxta verbũ D. Pauli, resipiscant, & denuò in vnitatem Ecclesiæ coalescant. Mors enim, quam infert iste gladius, potest per pœnitentiam reparari, quod est legis gratię priuilegium, quo lex Mosaica carebat, in qua mors corporalis reparari non poterat.

1. Cor. 15.

Lib. de uera Relig. cap. 6. 1. Cor. 5. 2. Thess. ult.

Quod si qui sint, qui pertinaciter, & contumaciter in sua nequitia perseuerent, illi propter commune totius corporis bonum, meritò experiuntur ictus huiuscemodi pondus & grauitatem. Ergone, dixeris fortasse, Imperatores & Reges subiiciuntur Ecclesiæ potestati & iurisdictioni? Quis dubitet, cùm sint oues Christi? Licet is, quem tenent, supremæ dignitatis locus, pastorem meritò commonefacere debeat, vt ipsorum rationem habeat, neq; prius vrat aut secet, quàm aliis omnibus medicamentis frustrâ tẽtatis & adhibitis. Hoc Regibus à pastore concedi potest & debet; non autem vt ab hac potestate penitùs eximantur: quia eiusmodi exceptio eò in maiorem Ecclesiæ perniciem cederet, quò illis amplior suppetit nocendi facultas, si non timoris aliquo freno coërceantur. In Rege quidquid est, magnum & conspicuum est, siue virtus, siue vitium. Hinc si potestate, qua pollet, abutatur ad vitium, cohiberi certè nequit, nisi maior

Omnia in rege magna & conspicua.

potestas

potestas accedat. Hinc excommunicationis gladius in multos Reges vsitata & vtili praxi sæpiùs multis in locis exertus est; si non semper exoptato fructu, id non culpa censuræ, sed vitio hominum accidit. At quod ais, *excommunicationem à multis Regibus contemptam*, nosse debes, non ob id fuisse meliores & laudabiliores. Nam quibus bona mens & conscientia, his gladius iste semper, *etiam iniustus eductus*, vt loquitur S. Gregorius, horrori & terrori fuit. Theodosius Imperator, & S. Ludouicus Rex, ambo armis inclyti, magis hunc gladium, quàm immensa hostium castra pertimescebant. Alius fuerit improbis animus, alius sensus: quid tum? Improbitas id fecit, neque propterà effugere potuerunt, quò minùs peruicacis suę contumacię & propteruię dignas pœnas persoluerent. Quòd si adhuc horum exemplo docere contendis, floccifaciendum esse excommunicationis anathema, rerumque diuinarum interdictum; licebit tibi eadem argumentandi forma probare, nihil laborandum esse de inferorum tormentis, cùm permulti athei infernum non alio, quàm anilis fabulæ loco habeant.

S. Greg. Hom. 26. in Euang.

Vrbanus Papa epist. ad omnes Episc. 11. q. 3.

Prætermisso igitur priore responso, poteras aliud Gallis magis honorificum responsum dare, cum multis aliis Carolum Molinæum secutis, videlicet Reges Galliæ à Pontificibus ea immunitate fuisse donatos, vt ne excõmunicari possint. Sed ego respondissem, & iam quoque respondeo, si te hoc telo tueri velis, Molinæum parùm fideliter annumerâsse verba & sententiam Bullæ Gregorii IV. dicentis; *nostros Reges non posse excommunicari ab aliquo Episcopo, ipso Papa nesciente aut non consentiente.* At bonus iste vir contextum Bullæ extendit & amplificat, permotus fortasis regula illa Iuris, *quæ iubet odia restringi, fauores ampliari:* Sed meminisse debebat, id faciendum iure & ratione, non glossa mendaci. Proditum quidem est, historiarum monumentis, S. Ludouicum

Molinæi fraus.

Dẽ Reg. Iuris in 6. Reg. 15.

Du Tillet in suis memor.

uicum Regem, & alios nonnullos Reges hoc priuilegium accepisse, sed personalis erat hæc prærogatiua, non omnium communis. Neq; potest *id sine vitio in exemplum trahi, quod quibusdã tantùm singulari gratia & fauore conceditur.* Adde, quòd hæc ipsa exempla manifestè ostendunt, Pontificem habere potestatem excommunicandi. Nam qui potestate prædítus est aliquem à legis obligatione eximendi, is vtique etiam præditus est potestate lege illa eundem obstringendi. Neque Pontifex tantùm, sed & reliqui Episcopi ab Ecclesia segregare possunt Reges, vbi non obstat peculiare, vt in Gallia, priuilegium.

Priulegium S. Ludouici.

De Reg. Iuris in. 6. Reg. 74.

CAPVT XV.

De temporali potestate Pontificis in Regem.

QVOD ad temporalem potestatem attinet, ea propriè & directè competit Principibus politicis, non Papæ. Nam vt Christus non more temporalis regis, sed vt spiritualis imperauit, iuxta illud: *Regnum meum non est de hoc mundo:* ita & Vicarius Christi, quâ talis, non aliam sibi potestatem, quàm spiritualem vsurpat; nisi iis in dítionibus, quas instar Principis politici possidet, non titulo Vicarij Christi. Quamobrem Dux sui ducatus Dux est, & Rex sui regni Rex: & nequidquam hîc te fatigas, tempusq; & otium teris; vt id, quod tibi vltrò damus, nobis probes, allatis ex penetralibus tuorum locorum communium mirificis flosculis, geminisq; illis versiculis:

Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt,
Si duo Soles sint in mundo, omnia incendio peribunt.

Potestas temporalis propria est principum temporalium. Dried. lib. 2. de liber Christ. Franc. Vict. li. 2. de fide cap. 76. 77. 78. Sotus in 4. sentẽt. Sanderus de uisib. Monarch.

Qui tamen alibi tibi potuissent esse vsui; deterius illud arbitror, quod dum verborum tam prodigus es, in grandẽ impietatem animoq; planè pernicioſam delaberis. *Et si con-*

ſtat, inquis, *Primatibus, Archiepiſcopis, atque Epiſcopis, præcipuam incumbere curam Religionis Gallicanæ; priùs tamen neceſſe eſt idem illi iuramento fidelitatis, ſuo ſeſe obſtringant regi; tantùm abeſt, vt votum eis eſſe poſſit contrarium, obedire videlicet abſolutè Papæ.* Machiauelliſmus Arnaldi.

Ergo ſecundùm Theologiæ tuę placita, nemo poterit perfectam obedientiam præſtare ſimul Regi & Papæ? Sed cedo, quid impedit, quò minus hoc fiat? Nonne homines, quotquot ſunt, fuerunt, vel erunt, diuina lege obligantur ad hoc, vt Deo; & ſubditi, vt Regibus; & filij, vt parentibus perfectè totoq; pectore obediant? Putáſne fieri nulla ratione poſſe, vt quis pluribus integrè obtemperet, iuſq; ſuum, quod iuſtitiæ munus eſt, cuiq; perfectè reddat? Crediſne votum obedientiæ Pontifici exhibendæ, repugnare voto obedientiæ regibus perſoluendæ? Si hoc tibi perſuades, bipes aſellus es, non homo. Nam vnicuique reddendo, quod ſuum eſt; honorem videlicet ei, cui honor; & tributum, tributum cui competit; perfectè & ex iuſtitiæ præſcripto obeditur ſingulis, neq; alterum alteri aduerſatur, cùm vtrumq; à Deo præcipiatur. Rom. 13.

Secundùm eandem tuam Theologiam oportet ante omnia, ante ſacras cæremonias, ante religionis inſtituta & ſcita, ante diuinum obſequium & officium, vno verbo ante omnia ſatisfacere officio Regibus debito, & poſtea diſpicere, quomodo morem geramus Deo. Oportet, inquam, primò omnium curam habere caducorum, & eorum, quę tempus abſumit, deinde æternorum & cæleſtium: primò corporis, poſtea animæ: primò terræ, poſtea cæli: primùm iuſſa facere regis mortalis, tum ſi quid obſequij ſupereſt, id regi immortali deferre. Hic ſub oratione tua deliteſcit ſenſus, anima & quaſi quinta eſſentia doctrinæ Machiauelliſticæ, vnâ cum intolerabili aſſentatione erga Reges, quos Deo præponis, vt Ethnici olim ſuis Diis Cæſares, quamùis iſti ſi- Tertull. in Apolog.

ne

ne sacrilegio, sæctæq; suę præiudicio id facerent: Dij enim gentium, idola & dæmonia, ac proinde minoris momenti, quàm Cæsares: at tuum factum non vacat blasphemia, & summo contemptu rerum diuinarum. Sed omisso mendacio, quo Galliæ Antistites oneras, illud exploratum est, Prę-latis in Gallia & alibi, ante omnia curæ cordiq; esse, & verò debere esse Religionem, post hanc obsequium regibus præstandum, neq; quisquam Regum viuit, recti & honesti amans, qui nolit se postponi Deo, quiq; istam tuam assentandi impudentiam non execretur.

Nihil igitur caussę erat, cur tam verbosè probares, reges suorum regnorum solùm esse temporales dominos, quandoquidem Pontifex nihil iuris in huiusmodi regna sibi vendicat; saluo tamen iure correctionis & directionis, quo vt pater & pastor, imò & vt Iudex vti potest in illos, qui cum Ecclesiæ damno regnant. Hoc enim euentu non modò potest, sed & debet officio Superioris fungi, cùm propter priuatum ipsorum Principum, tum propter commune totius Reipub. bonum. Hoc vocabulum (*saluo*) adiunctũ fauces tibi elidit, gulamq; frangit, audiendum tamen est velis nolis, fatendumq; tibi tuo ore, te & rationis & conscientiæ penitùs expertem esse. Nec facilè quis dixerit, quàm salutaris sit hæc summi Pontificis auctoritas in Reges, qui non rarò in officio continentur, vel longiùs euagati ad meliorẽ frugem reuocantur, formidine potius amittendi temporalia, quorum amore tenentur, licèt multis flagitiis inquinati, quàm metu perdendi spiritualia & diuina, quæ sæpiùs floccifaciunt, nisi aliquo rectæ conscientiæ studio ducantur, quod non semper contingit. Hinc accidit, vt Deus Regibus Israëlis, si leges à se latas non seruarent, minaretur potiùs amissionem regni terrestris, quàm cælestis, hasq; suas minas perfecit opere, cùm Saulem primum Regem regno

Auctoritas Põtificis in Reges ualde salutaris est Regibus.

exuit, alio in eius thronum substituto. At *Pontifex*, inquies, *non est Deus*. Quis negat? Sed neq; Deus erat Samuel, qui tamen id, quod Deus contra Saulem decreuerat, executus est. Ergo quod Deus tunc faciebat ministerio Prophetarũ,
1. Reg. 16. id nunc agit operâ sui Vicarij. Quare vt manibus Prophetę Saulem vnxerat Regem: sic eundem per eundem regali solio deiecit, & sceptrum ad Dauidem transtulit. Temporibus Oziæ Regis Iuda Summus Sacerdos, qui non magis
2. Par. 26. erat Deus, quàm Samuel, regnum patris, filio tradidit, cùm pater lepra obsitus, superbiæ pœnas dedit. Neq; fuit Ozias à communi hominum conuentu segregatus absq; voluntate & approbatione Summi Sacerdotis (quod diuina lege sancitum erat) ergo neq; sine eiusdem auctoritate, regio
Leuit. 13. diademate priuatus est. Ioiadas non erat Deus, sed Pontí-
4. Reg. 11. fex, & Dei Vicarius, quando interfecta Regina Athalia, quæ
2. Par. 23. tyrannicè imperabat, regnum restituit Ioiadæ, sanguinis regij Principi, & legitimo regni hæredi. Hi omnes executores & administri erant diuinæ voluntatis, qualis & Pontifex, Vicarius Dei; cumq; Deus innumeris modis & præter alios Ethnicorum, Turcarum, Mahometanorum, aliarumq; exterarum nationum armis regna transferre possit (vt & olim fecit, cùm Assyriis Græcos subiecit, & his illos, Iudæos vtrisque, & Romanis omnes) inter Christianos tamen, nullus modus suauior, rationi conuenientior, & securior esse potest, quàm cùm Princeps Ecclesiæ, omniumq; Christianorum parens regna transfert: is enim singulari Dei ope fretus, simulq; doctorum & pietate illustrium virorum consiliis adiutus, haud quidquam in ius legitimorum successorum committet, sed procul ab omni amore vel odio remotus, maturè & considerate rem tanti ponderis tractandam & perficiendam suscipiet, in vnius Dei gloriam, bonumq; publicum & priuatum intentus.

CAP.

CAPVT XVI.

Regnorum translationes à Pontificibus factas, semper fuisse vtiles regno Gallicano.

ASTipulatur dictis meis, tanquam vero consentaneis ipsa consuetudo. Nam quicquid hac in parte vnquam actum est, id totum in regni sceptriq; Gallicani emolumentum & honorem redundauit. *Regna utiliter translata.* Nihil vnquam vtilius aut fructuosius Galliæ accidit, quàm cùm corona translata fuit à Chilperico (qui neq; bonus rex erat, neq; bonus Christianus) ad Pipinum Generosum principem & ingenioſum, auctoritate Zacharię Papæ, rogatu omnium principum regij sanguinis, & magnorum Galliæ heroum. Quod factum ab omnibus probis commendatum, & à solis hæreticis vituperatum est, maximè à Centuriatoribus & Caluino. *Cent. 8. c. 10. libr. 4. Instit. ca. 7. sect. 17.* Nónne diuinitus quoq; contigit, ad Franciæ regnum proferendum & amplificandum, vt Imperium Græcorum transferretur ad Carolum Magnum, filium domus Francicæ, auctoritate Leonis III. & approbatione & gaudio totius orbis Christiani, cùm Imperatores Græci suppetias ferre vel nollent, vel non possent Ecclesiæ Occidentali, barbarorum incursionibus multos annos miserabiliter afflictæ, & propemodum oppressæ? Quam translationem Deus itidem suo suffragio ratam & gratam habuit, concessis Carolo Magno diuinitus tot admirandis victoriis & trophæis, quibus omnium scriptorum monumenta referta sunt. *Imperiũ à Græcis ad Carolum Magnum translatum. Zonaras in vita Constantini. Cedrenus. Paul. Diaconus Aimonius & alij.* Hæc & similia, cùm totius antiquitatis testimonio celebrentur & decantentur; tu tamen audacissimè *machinationes tyrannicas* nominas, palpumque Regibus egregiè obtrudens, laudibus extollis Monarchiam Turcicam & Ethnicam, quæ est, vt Princeps Christianus, quicquid libuerit, liberè perpe- *Impietas Arnaldi.*

tret; & siue ad Ethnicos & Turcas, siue ad hæreticos & atheos descíscere velit, animo morem gerat, securus omnis censuræ & timoris; quippe qui nullum Superiorem agnoscat, ne ipsum quidem Deum, quiq; ludibundus versiculum illum occinat:

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet,

Huiusmodi Regi præstandam esse doces perfectam illã, & omnibus numeris absolutam obedientiam, quam *ianuis clausis* nobis dilaudas & prædicas, cui ne tum quidem contradicendum sit, cùm circumcisionem, habitumq; Turcicũ imperaret, non obstante excommunicationis fulmine, vel quoquam alio interdicto Roma allato ad impediendum vel Principis præceptum, vel subditorum obsequium.

Hæc est admiranda illa tua Respub. quam in Christianissimum vociferationibus tuis introducis, & in qua politicus status, à Religione; potestas spiritualis à terrena, *non minùs quàm cælum à terra seiungitur*, vt tu loqueris, non animaduertens, similitudine tua assertionem tuam euerti. Nam vt terra fructus submittere nequit absq; cæli adiumento; ita neq; potestas politica speratos fructus parere potest, nisi adiuuetur à potestate spirituali. Quòd si in bonis libris tam tritus & versatus esses, atq; in Morologia Malescoti Ministri, didicisses, Rempublicam Christianam quando temporibus Apostolorum sola potestate spirituali prædita erat, non plus commercij habuisse cum potestate politica & externa, quàm modò cum Turcica: at cùm temporis progressione vtraq; potestas in Ecclesia confociata fuisset, ita, vt Ecclesiasticum & politicum Magistratum contineret; necesse fuit, vt istæ duæ partes mutuas sibi operas præstarent, vtque spiritus corpori, & corpus spiritui opem ferret; spiritus quidem rectoris, corpus instar subditi. Hinc hodie videre licet, Magistratum secularem præstò esse Ecclesiæ, quoties

Nazianz. orat. ad popul. & Imp.

Bern. lib. 1. de consider.

Ita S. Leo ser. 8. mensis Decemb.

vsus

vsus exigit, hunc q; vicissim ab Ecclesia in spiritualibus regi & dirigi; & ita quidem, vt quòad rectè, & diuinis legibus conuenienter Magistratus præest, minimè impediat, quò minus munere suo liberè, & sine cuiusquam interpellatione fungatur. At si ius fasq; violet, remedia adhibet Ecclesia tam spiritualia, quàm temporalia, & ad officium reducere conatur, exemplo spiritus, qui corpus dirigit & corrigit, modò rerum diuinarum contemplatione, precibus, & id genus aliis subsidiis, modò ieiuniis, vigiliis, & aliis huiusmodi afflictationibus, quando terminos sibi præfixos nimia cibi potúsue appetentia & ingurgitatione, vel alterius delicti cupiditate transcendit. Quòd si in Ecclesiastica administratione spiritualem potestatem à temporali, & Religionem à politia abiungis; quid aliud nobis parturis, imò & paris, quàm corpus hominis absq; anima, bestiam potiùs quàm hominem; Rempub. Ethnicam, Machiauellisticam & Turcicam, in qua corpus tanquam caput & princeps imperet absq; Religione; & in qua Deus aut nullo, aut non nisi simulato & hypocritico cultu colatur? Habes potestatem spiritualem & temporalem, qua Ecclesia Catholica credit Apostolicam sedem præditam esse: si tibi grandis nimium videatur, patienter, si sapis, tolera: vel si semper *Arnaldus* esse velis, caueas ne incidas in nassam Hispanicę inquisitionis; quæ te aut *ianuis clausis*, aut in tenebricosa quapiam cauea declamare, vel potius clamare cogat.

CAPVT XVII.

Non esse indignum Rege, vt se subiiciat sedi Apostolicæ.

Cauſſa

CAVSSA erroris tui, quoad duas prædictas, quas hactenus refutauimus, hæreses, hæc est, quòd *existimas, indignum esse regia Maiestate, alterius iussa tanquam superioris capescere*; ignarus, eam esse virtutis conditionem, vt nunquam imminuat vllius magnitudinem, sed potius extollat & illustret; & obedientiæ eam esse naturam, vt quosuis sui studiosos in omnium admirationem rapiat. Nam cùm quis ex infima vulgi fæce sese alteri subiicit, non admodum suspiciendum, & laude dignum facinus censetur; sed cùm regia Maiestas ad alterius nutum sese conformat, & attemperat, id demùm facinus diuinum, omniumq; vocibus prædicandum existimatur. Quod non fugit magnum illum Imperatorem Theodosium, cuius hoc oraculum in libris tuæ iuridicæ professionis: *Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri, & reuerâ maius imperio est submittere principatum legibus.* Hanc viam Dei filius, cùm in mundum veniisset, ingressus, mirificam sibi apud mortales omnes conciliauit sanctitatis opinionem. Nam licèt omnibus virtutum ornamentis condecoratus fulgeret; nullius tamen virtutis clariora & expressiora documenta edidit, quàm obedientiæ & humilitatis, quæ obedientiæ & mater & filia iure appellatur. *Factus est enim obediens, vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Neq; potuit Apostolus significantius exprimere excellentissimã Christi obedientiam: quàm cùm dixit, eum totius vitæ suæ decursu obedientem perstitisse; & eadem quoq; obedientia crucis supplicium subiisse. Adhæc Euangelista testatur, eum subditum fuisse matri, & Ioseph, qui solùm patris nomen habebat.

Dictum Theodosii L. Digna uox. C. de Legibus.

Philip. 2.

Lucæ 2.

Obiicies fortasis, *Christum fuisse Deum*: at si indignum nõ erat, suprema illa & infinita maiestate subesse homini, cur hoc esset indignum mortali hominis maiestate? Vtq; filius

Dei

Dei nulla re magis sese probauit & declarauit filium patris æterni, & matris, quàm obsequendi studio (cùm nihil aliud sit, quod potiore & arctiore iure debeat filius maioribus suis) ita & Rex Franciæ, præ cæteris orbis terrarum Regibus, hanc tam promptam Ecclesiæ, eiusq; aspectabili capiti, obtemperandi voluntatẽ & cupiditatem præ se ferre debet; vt verè sit & habeatur *Ecclesiæ primogenitus filius*; tantumq; abest, vt idcircò quidquam de magnitudine regię maiestatis decerpatur & diminuatur; vt hæc ipsa obedientia illum potius super omnes euehat, nihilque adeò præter illam sit, quo se cæteris Principibus antestare & præire demonstret: vt taceam, omnes actiones, ex hac virtute natas, reliquis omnibus præclarè factis longè plus laudis apud omnes rectè sentientes mereri. Theodosius multa præclara domi forisque gessit: sed præ cæteris, quæ tota vita sua gessit, nihil magis à mille ducentis annis decantatur; quàm obedientia illa, qua suo sese Episcopo submisit, & consequentibus seculis celebrabitur; quoad licebit veritatis præconibus cathedram conscendere, & ad populum verba facere. Si in te vel vnica mica Christianæ humilitatis fuisset, totum hoc facilè conspexisses, neque tam audacter & impudenter os aperuisses: sed superbia, lumine adempto, te excœcauit, & linguam in præceps egit, hæresique te contaminauit, & illo capitali odio, quo in Sedem Apostolicam ardes, inflammauit. Vitium hoc omnium scelerum fons est & origo, præcipuè hæreseos, cùm omniũ, tũ hodiernæ potissimum, *Initium omnis peccati superbia. Diuersis locis diuersæ hæreses, sed vna mater superbia omnes genuit*, inquit S. Augustinus. Nihil magis refugit superbia, quàm sibi quenquam præponi: semper ascendit, & tamdiu in altum sese tollit, quamdiu vires suppetunt, nec desinit, donec in imum corruat; *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Lucifer in supremo cælo erat, supra

Vis obedientiæ

Theodoret. li. 5. histor. ca. 17

Superbia parẽs hæreseos.

Eccles. 10.

Lib. de uera pæst. c. 8.

Psal. 73.

pra omnem naturam creatam exaltatus, nihilominus corde suo volutabat illud, *Ascendam*, ægrè ferens Deum se eminentiorem. Hæreticus ergo *primogenitus superbiæ filius* naturam patris sequitur: vult enim semper primum occupare locum: semper cælum per stultitiam affectat, odioq; omne illud habet, quo ab ascensu prohibetur, & multò magis id, quo deprimitur. Hinc fit, vt omnem se superiorem potestatem, & maximè spiritualem, quæ iudicium & voluntatem, animæ nobiliores partes, tangit, abominetur. Hinc imperij impatiens nemini morem gerit; & vt coruus oculos, sic iste caput appetit: hoc enim obstat, quo minus excelsior appareat, hoc ex alto eundem deturbat: quare caput hoc totis viribus conterere molitur.

Isaiæ 14. Natura hæretici.

CAPVT XIIX.

De impudentia Hæreticorum in Reges & Principes.

QVOD si vnquam vlla extitit hæresis superbia & arrogantia tumens, ea est hæresis nostrę ætatis, colluuies & sentina, in quam omnium antiquarum hæreseon sordes confluxerunt. Hinc & in caput Ecclesię remis velisq; consurgit, vera filiorum superbię effigies, de quibus his verbis Apostolus: *Dominationem spernunt, audaces, sibi placentes, Maiestatem blasphemant.* Nec capiti duntaxat spirituali, sed & temporali hæresis cornua obuertit: licèt enim videatur Regibus & Principibus politicis debitum honorẽ & reuerentiam deferre; inuitâ tamen id agit Minerua, neq; sine spe alicuius commodi, aut libertatis, aut alterius doni id facit. Hac spe sublata, dentes stringere, & vngues exere-re egregiè nouit. Legatur Lutherus, qui quanta insolentia in Henricum VIII. Regem Anglię inuectus sit, explicatu difficile est, licèt profiteretur, se Reges venerari & colere.

2. Petr. 2.

Quales sint hæretici erga Reges.

Caluinus

Caluinus in sua Institutione de Regibus & obedientia illis debita, loquitur vt alter Augustinus; quia sperabat fore tempus, quo arbitratu suo cum Rege ageret: at cùm hac spe deiectus conspicaretur, Principes Catholicos, seriò in hæreticos animaduertere, calamum & stylum vertit, & prętextu honoris diuini, aculeos omnes in Principes expressit. In sua Institutione dixerat, *eos esse Deos in terra, à Deo missos, vt vices eius gererent, omni honore, obseruantia & obedientia dignos, etiamsi sint sceleratissimi:* sed in Danielem commentans, nullum lapidem non mouet, vt eos ex illo throno deiiciat. Ibi enim ait, eos esse non deos, sed *indignos, qui in album hominum referantur; non honorandos, sed in facie sputis complendos, mimos, insanos, bruta animalia, equos ac asinos, in forum porcellos & vitulos vectantes.* Eosdem deinde irrisui habet, quòd hoc titulo vtantur (*gratia Dei*) quo tamen agnoscunt potestatem suam sibi cælitus esse collatam, quam recognitionem omnes Reges semper plurimi fecerunt, suisq; honorum & regnorum titulis piè ac religiosè semper adscripserunt. Ad extremum vexillo explicato & diducto subditos aduersus Principes exsuscitat. Verba eius sunt ista: *Abdicant se potestate terreni Principes, dum insurgunt contra Deum* (hoc est, quando hæreticos puniunt) *imò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero; non audiendi, sed conspuendi sunt, nisi omnes superstitiones aboleantur,* hoc est, nisi aboleant Missam & omnia Sacramenta Ecclesiæ Catholicæ. Eodem loco: *Hodie,* inquit, *vt omnes Reges fatui sunt & bruti: ita etiam sunt quasi equi & asini brutorum animalium.* Item: *Exercent tyrannidem aduersus omnes pios; stabiliunt sua sententia impias superstitiones,* per superstitionem intelligit fidem & doctrinam Catholicam. Et in cap. 4. eiusdem Prophetæ: *Hodie,* inquit, *Monarchæ semper in suis titulis obtrudunt, se esse Reges, Duces & comites, Dei gratia; sed quàm multi falsò Dei nomen prætendunt?* Et concludit: *Merus igitur fucus est, quod dicunt, se*

Lib. 4 c. 20.

In 6. cap. Dan. v. 22.

Impudētiæ Caluini in Reges

Verba Caluini.

cunt, se Dei gratiâ pollere dominatione.

Zuing. lib. 4. epis. fol. 186. & tom. 1. art. 42.

Zuinglius apertè dicit, *Reges improbos exauctorandos esse.* Sed *improborum* nomine, perperam bonos Catholicos comprehendit, probatq; suam sententiam exemplo Manasśis & Saulis. Quamobrem quotiescunque Regum quispiam Ministris istis non statim obtemperat, de solio decidit, vt isti quidem nudius tertius *nati Dii* existimant, licèt titulo suo regio gratiam Dei, & potentiam diuinam præscribat. Beza Magistri sui Caluini vestigia sequitur. nisi quod multis locis petulantia Doctorem suum vincit, potissimum in quadam, sua epistola, quæ est 41. in qua manifestè inuehitur in Regem Galliæ, quem *Sathanam* vocat: *Caueant sibi*, inquit, *fideles inire vnquam fœdus cum Sathana.* Neque aliud propemodum Bezæ in ore fuit, *quàm libertatem Ecclesiæ Gallicanæ armis comparandam, armisq; conseruandam esse.* Omnes Ministri eandem amplexi sunt doctrinam, vt testantur libri, quos de hoc argumento scripserunt, quod genus, *sacrum Concilium*, *Alithia*, *de furore Gallorum*, *Iunius Brutus de potestate Principum & populi*, *Epistola Bruccij*, *quæ est Bezæ*, *Homicidarum crepitus*, *Excitatorium matutinum*, & similes. & vt liquidò constet, hæreticos nõ oppugnare ipsos Reges, ob flagitia, quibus fortassis obnoxii videri possint, sed statum ipsum & regiam dignitatem; En, quid Caluinus scribat in sua Institutione, cùm de triplici Reipub. forma loquitur, videlicet Monarchia, Aristocratia, & Democratia. *Equidem si in se*, inquit, *considerentur, tres isti modi gubernandi, quos adduxi, præeminentia illorum, qui gubernant, populumq; in libertate conseruant, pluris erit facienda*, hoc est, Aristocratia erit melior. Quæ verba capitale Monarchiæ odium extorsit. Omnes enim Philosophi, ipsa ratio & experientia, principatum Monarchiæ, seu regiæ administrationi largiuntur.

Rex Galliæ Bezæ Satan est & Diabolus.

Libri hæreticorũ ex quibus liquet, quid de regibus sentiant.

Lib. 4. c. 20. Aristocratiam præfert Caluinus Monarchiæ

Plato in polit. Arist. 8. Eth. c. 10. Sen. 2. de benef. 10. Plu-

Ex hac Caluini, aliorumq; hæreticorum præclara doctrina ex-

na extiterunt acerbissimi illi fructus, quos miseranda Gallia à triginta sex vel circiter annis deuorare coacta est. Ex hac doctrina velut ex hoplotheca & armamẽtario quodam deprompserunt sibi hæretici spicula, vt in Gallia perficerent, quod animo conceperant, & in regiam maiestatem insurgerent, euersa Monarchia cum Religione auita, per innumeras strages & cædes, & immanissima facinora, occupatisq; trecentis, iisq; potissimis Galliæ vrbibus, vt eò, si quæ fata sinerent, Aristocratias & Democratias introducerent, quod Geneuæ, Ruppellæ, Nemausi, in Monte Albano, & alibi fecerunt, quibus locis sedulò aduigilant, ne cuiquam potentiori aditus pateat, qui regia potestate in illos vtatur. Nec admittitur legitimus Rex, præcipuè si sit Catholicus. Ministri Bernenses, perinde ac si essent huius regni pares & patres, qui scisendi & decernendi liberam haberent potestatem in Pseudosynodo quædam leges rogarunt in odium & contemptum Caroli IX. mandaruntque, vt in omnibus Galliæ vrbibus, quarum hæretici potiti erant, obseruarentur, quibus instituuntur Magistratus, Duces, & Tribuni militũ & alii administri, ad imitationem veterum Ioniorum, Bœotorum, Dolopum, & Achiuorum; adeò hæresis Reges & regiam dignitatem ac Superioris vnitatem odit, velut insitæ suæ superbiæ intolerabilem,

tar. de Monar. Isocr. ad Nicoclẽ. Herod. li. 3. Hõ. l. 2. Ilia. S. Iust. orat. ad gentes. S. Atha. orat. cõt. Idola. S. Cypr. de Idol. uanit. S. Hier. ad Rust. Hæretici oderũt Monarchiam.

Impudentia Ministrorum Bernensium.

Si huius doctrinæ vel tenuissimam vmbram in libris Iesuitarum reperisses, quantos clamores ambabus inflatis buccis sustulisses, vt voce satis sonora crimen læsæ maiestatis intonares? Sed de hoc capite satis superq;. Ostendi perspicuè ex tuis verbis, te esse hæreticum. Ne igitur fingas te amplius Catholicum, ne producas amplius Collegium regium Nauarræum, vt te tegas. Lupus es, nam vt lupus vlulas, vt lupus mordes, vt lupus insectaris pastorem, & oues IESV Christi. Exue pellem ouinam, dentes tui & vngues patue-

Arnaldus omnibus indiciis Lupus.

runt: cur times vocari hæreticus, cùm sis? Putásne, te non esse hæreticum, recusando nomen? *Ne illi quidem*, ait S. Ambrosius, *sunt immunes hæreseos, qui nomen quidem refugiunt, sed perfidiam asserunt, & impietatem exequuntur.*

De fide orthod. cap. 3.

CAPVT XIX.

Calumnia & Mendacia Arnaldi circa originem Societatis Iesu.

POSTQVAM pectoris tui pernicioſum virus in caput Eccleſiæ liberaliter euomuiſti, & quo ardore Sedis Apoſtolicæ ruinam exoptes, manifeſtis argumentis declaraſti: conuerſo furore, nunc membra Eccleſiæ aggrederis, deque origine Societatis Ieſu ſic nugaris: *Cogor aliquid dicere de origine Ieſuitarum, ſed breuiſſimè, quia cauſſa mea aliò me vocat:* quibus ſubdis: *Anno igitur M. D. XXI. cùm æquiſſimum cenſerent Galli, vt is, qui ipſorum cauſſâ ditione ſua exciderat, eandem per eoſdem recuperaret, obſidione cinxerunt ciuitatem Pampelonam, eamq; poſt multam demùm oppugnationem occuparunt. Erat autem ibi præſidiariorum militum Dux Ignatius Loiola, qui pertinaciſſimè noſtris ſeſe opponeret, donec tandem vix fractis cruribus euaderet. Quo caſu militia ille quidem ſuperſedere coactus, ſed tamen cùm iuraſſet odium in Gallos irreconciliabile prorſus, nec minus eo, quàm erat Hannibalis contra Romanos auxilio maligni ſpiritus, incubatúq; ſuo excluſit maledictam iſtã coniurationem Ieſuitarum, qui tot tantaq; mala in Galliam inuexerũt.* Et paulò pòſt: *Mirandum ſanè, flagitioſam Ieſuitarum propaginem ruina vtique & deſolatione gentis humanæ in tantam excreuiſſe multitudinem, vt intra paucas annorum hebdomades à ſexaginta* (neque enim initio plures) *ad decẽ vſque prouenerint millia.* Hactenus Narrationis tuæ verba, quæ qui legerit, quantumlibet frigidè duntaxat & politicè Catholicus, nullo q; veteris Religio-

ligionis ardore incensus; facilè tamen intelliget, omnes tuas cogitationes, conatus & machinas eò referri, vt mendacia & calumnias architecteris & comminiscaris. Nam, si mẽtiendi libidine non exardescerres, nihil necesse erat, te ortũ huius Societatis commemorare, cùm is nihil ad rem tuam faciat. Clarè etiam deprehendet Lector tuus, te laborare immedicabili gangræne morbo; cuius ea natura, vt omnia cõtaminet, & nihil intactum & intaminatum relinquat. Maffeius & Ribadeneira, quem frequenter citas, & ex aliorum numero Lopesius Castagneda, Societatis originem, & hanc, quam refers, historiam verè descripserunt; si quod inde accepisti, sincere & bona fide reddidisses; aliquid saltem veritatis in duabus tuis periodis repertum fuisset, absq; causę tuæ præiudicio, imò cum laude & candoris testificatione. At nihil in tua præcordia descendit, quod non acescat: nec vel fauces mouere potes, quin mendacia euolent. Et si veritatem aliquam in animum tuum demittas, mox in mendacium conuertitur, & noua metamorphosi in suum contrarium transmutatur. Ecce quid Castagneda historicus Lusitanus, de cuius fide meritò dubitare nequis, de origine Iesuitarum literarum monumentis consignarit, & ad posteritatem transmiserit. *Ignatius de Loiola ex Biscaia oriundus, nobili familia, & parentibus Catholicis editus, à prima statim ætate in aulam Regis Ferdinandi missus, ita vitæ suæ rationes instituit, vt armorum vsum & tractationem omnibus rebus anteferret; id vnum elaborans, vt in hac exercitatione fratres suos se natu grandiores longo interuallo superaret. Itaque cùm Anno M. D. XXI. Pompeiopolis à Gallis arcta obsidione cingeretur, & ab Hispanorum præsidio, in quo & Ignatius, defenderetur, ictu bombardæ penitùs confracta est dextra eius tibia, sinistra autem, lapide ex mœnibus excusso, valde sauciata: postquam suis adhortationibus, animiq; infracta virtute obsessis sæpiùs non parum animi & roboris addidisset, vt hostibus viriliter re-*

Li. 20. hist. Portugallensis. Verba Castagnedæ historici de orig. Iesuit.

ter resisterent. Qua de caussa vrbe paulò pòst per deditionem Gallis tradita, Ignatius in Gallorum manus venit, qui perhumaniter acceptum & habitum, ad extremum quoq; liberũ in patriam remiserunt, vbi à Medicis diligenter curatus, acerbissimos quosq; dolores sanitatis recuperandæ gratiâ inuicta mente pertulit, nondum deposita voluntate ad castra redeundi; his tamen cruciatibus quodammodo â Deo præmonitus, rerum humanarum instabilem & fluxam sortem accuratiùs perpendere cæpit, adeò vt post diuturnum cum animo suo, rerũq; inanium imaginibus & vmbris certamen, tandem decreuerit (lectione librorum, qui vitam Domini nostri & Sanctorum continebant, vehementer adiutus) se totum diuino cultui mancipare exemplo & imitatione Sanctorum, quorum præclara facta à se non diu antea lecta, recenti memoria, hærebant.

Initia conuersionis Ignatii de Loiola.

Posthæc narrat idem Castagneda peregrinationes, res gestas, studia & pietatem Ignatii & sociorum, & qua ratione Societas hæc à Sede Apostolica approbata fuerit Anno M. D. XL.

Quidquid igitur tu certi & veri de origine Iesuitarum nosti, id te vel ex hoc scriptore, vel ex Iesuitarum libris desumere oportuit. Ipsi enim soli sunt, qui primordia sua literis mandare potuerunt; quippe qui primos suos parentes viderint, & isthæc narrantes sæpiùs audiuerint. Ex te ipso nihil rerum istarum nosse potes, quandoquidem illis temporibus ne natus quidem eras. Si dixeris, te à Ministris & Prædicantibus super his rebus edoctum, libenter tibi assentior; sed nec ipsi hæc & similia aliunde, quàm ex libris Iesuitarũ & Castagnedæ petere & intelligere potuerunt; & tamen tua narratio longè ab illorum narratione discrepat. Castagneda eodem modo scribit, quo Ribadeneira, & Maffæus, Ignatium videlicet habuisse alterum crus fractum, alterum læsum, tu dicis, *vtrumq; fuisse fractum.* Castagneda dicit, lectionem piorum librorum non sine molesta iucta desiderii mundi

mundi deserendi Ignatio peperisse: tu nullam huiusce rei mentionem facis, sed obliquè indicas, id eum *indignatione quadã fecisse*, quòd videret se claudum effectum. Quod tu ex tuo cerebro fingis. Nam historia nihil de hac re dicit: sed narrat, curatũ fuisse, rectèq; incessisse, licèt claudicârit; sed tam modicè, vt non nisi á curiosis animaduerti posset. Quod satis non est, vt dicas, illum *indignatione quadam* militiam deseruisse. Sufficit generoso militum Duci, si prudentia valeat; & militi, si robore lacertorum: pedes firmos & crura agilia præoptant illi, qui, cùm pugnandum est maximè, fugiunt maximè.

Porrò tantùm abest, vt qui in bello mancus mutilúsue effectus est, debeat ob id animum despondere, vt infortunium hoc meritissimò honori & gloriæ sibi ducere possit. Quolibet enim passu, virtutis argumenta ostentat: abiecitne Sceuola animum, cùm alteram manum; aut Horatius, cui Cocliti nomen, cùm alterum oculum amisit? Castagneda dicit, Ignatium statuisse, rebus mortalibus valedicere; vt quidquid vitæ viriumue suppeteret, id totum in vnius Dei famulatu deinceps expenderet. Tu dicis, *id factum irreconciliabili in Gallos odio*. Castagneda dicit, eum impulsu & ductu Spiritus sancti hunc Ordinem fundâsse: tu, *dæmonis instinctu*. Castagneda copiosè exponit, quàm multa præclara fecerit Ignatius cum sociis ad Ecclesiæ vtilitatem: tu scribis, *eum fouisse & aluisse maledictam istam conspirationem, quæ tot tantasq; calamitates in Galliam inuexerit*: & vndenam, nisi ex corrupti pectoris tui recessibus accidit, vt cùm ex limpidissimo fonte biberis, reddas lymphas tam sordidas, veritate tam peruersè corrupta in hac breuissima historia? Et quid, oro, præiudicii & incommodi causse tuę attulisses, si candidè dixisses, Ignatium alterum crus habuisse fractum, libris q; spiritualibus peruolutandis vacasse, & id genus alia, quæ

Liuius libr. 1. Decad. 1.

vera sunt: quid, inquam, causſæ tuæ nocuisſes, si hæc & similia commemorasſes, omissa illa fellis amaritie, quam copiosè euomuisti? Nihil damni inde tibi extitisſet: sed vt anima tua omnis omnino conscientiæ expers est; ita & oratio tua veritatis.

CAPVT XX.

Arnaldi calumniæ in totam Rempub. Christianam.

PARVM tamen tibi visum est, historiam dicto modo deprauasſe, nisi etiam in totam, qua patet, Christianitatem iniuriosus esſes. Nam cùm istã Societatem *maligni spiritus opus* appellas, iniuriosè condemnas iudicium Ecclesiæ vniuersalis & ipsius capitis. Concilium Tridentinum sic de Societate loquitur: *Per hæc sancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta eorum pium institutum, à Sancta sede Apostolica probatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit.* Concilium vocat *Religionem.* Apostolica Sedes eandem Societatem vt *Religionem* approbauit per omnes illos Pontifices, qui à Paulo III. (qui eam primus calculo suo confirmauit) adhunc vsq; diem cathedram Petri tenuerunt, omnesq; non sine accurato Regularum & omnium actionum examine debitisque probationibus, eidem varia priuilegia impertiuerunt. Societatem igitur, quam caput & corpus vniuersum Ecclesiæ *Religionem* appellat, *pium institutum, procq; Dei obsequio erectum*, tu vocas *coniurationem dæmonis operâ eductam & excusſam, impiam progeniem*; & alibi: *Sathanæ officinam, sectam periculosam*; quæ nomina conuenire non possunt, nisi in hæresin, quæ propriè conuenticulum est spiritu diabolico congregatum, rebellio filiorum Sathanæ, officina

Sess. 25. cap. 16. de Regul.

Paulus III. Societatẽ approbauit.

officina fabrilis instrumentorum Sathanę, membrum ab Ecclesia recisum, constituens sectam cohortemque Sathanæ. Hæresi matri tuæ ista sunt danda nomina, & *secta* appellatio: ipsa est, quæ se à fide Ecclesiæ segregat, mater schismatum & dissensionum. Et nisi hæreticus, & quidem impudens esses, nunquam adeò petulanter blasphemam tuam linguam in Ecclesię Catholicæ maiestatem strinxisses. Nam ex tuis verbis sequitur, Concilium Oecumenicum nomine Dei conuocatum, & Spiritus sancti aura afflatum, vnâ cum Sede Apostolica, quæ ad diiudicandum verum à falso, internoscendosq; bonos spiritus à malignis, scientiæ claues habet: perniciosè erraſſe, cùm *improbam coniurationem, sectamq; nefariam* in numerum Religiosorum Ordinum cooptauit. Hoc autem adeò sceleratum & impium placitum, cum tanta Christianæ Reip. iniuria asserere, est Wiclefo, Luthero, & Caluino, discipuli instar, adhærescere, nomenq; suum in illis hæreticis profiteri, quibus nemo impudentior & flagitiosior ex infernorum sedibus extitit. Matth. 16.

Inde etiam sequitur, conuentum Poissiacum, Sorbonam, Christianissimos Reges Galliæ, supremos Regis Senatores seu Parlamenta, quorum omnium cauto & circumspecto iudicio Societas approbata & in regnum recepta est: præterea omnis generis clarissimos Gallos, qui tanta liberalitate & munificentia Societatem sustentarunt: adæc Vrbes, quæ Societatem intimo quodam animi affectu complexæ fuerunt: denique Academias, quæ eandem in corpus & Rempub. suã asciuerunt. Hos omnes, inquam, sequitur, aut scienter extrema quadam malitia, aut imprudenter, intolerabili ignorantia fuisse approbatores; fundatores, benefactores & fautores *viperei geniminis, coniurationis, & secta maledicta*, inque Gallię intimis visceribus stabiliuisse & fouisse scholas Sathanæ. Hoc totum sequitur ex eo, quod asseris, ita, vt

Quos & quantos Arnaldus iniuria afficiat.

iniuria tua ad omnes, nemine excepto, diffundatur. Nam insulsa tua vel potius hæretica garrulitate violasti Ecclesiæ sanctitatem, regiam maiestatem, magistratuum auctoritatem, & in genere ipsum commune Francorum nomen & existimationem; in specie autem atrocem iniuriam irrogasti plus quam bis mille Gallicanis familiis, quarum vel liberi vel consanguinei in hac Societate Deo vel seruierunt, vel adhuc seruiunt. Mitto cæteras Respub. regna & Monarchias Europæ, quæ Iesuitas admirabili beneuolentia receperunt & retinent. Mitto omnes alias Orbis partes, in quibus degunt ingenti approbatione eorum, qui virtutem colunt: In hos quoque spicula tuę linguę emisisti, ita, vt tua maledicendi libido non solius Gallię, sed iisdem, quibus mundus, terminis circumscribatur. Sed non vtar hoc argumẽto: sufficit indicasse, te, tuam patriam, dum Iesuitas insectaris, caninis dentibus lacerâsse; si tamen Gallus es, ac non potius furiosius quidam Molossus Anglicus, humana figura vestitus. Profectò, nisi mens tua furiis, imò & ipso Stygis halitu afflata fuisset; fieri non potuisset, vt tam graues & nefarias calumnias in Dei Ecclesiam, in omnes Christianos, & in Societatem Iesu iaceres, quam magno animi tui mærore fateris esse *numerosissimam*, & quam omnes pii ingenti gaudio vbique terrarum diffusam & propagatam bono animarum vident.

CAPVT XXI.

Impietas Arnaldi in Sacramenta.

AERVmenimuerò commodè hoc loco euenit, vt postquam furor tuus nonnihil deferbuit, tuo tibi iumento malum arcesseres, cùm dicis, *naturam animalibus sanguinariis, exitiumq; homini afferre solitis negasse*

gasse fœcunditatem. Istam verò Societatem fœcundissimam & numerosissimam simul esse. Non est igitur, vt tu mentiris, Societas hæc *sanguinaria & perniciosa*, cùm fœcunditas illius potius arguat vtilitatem & benedictionem cælo missam. Est enim ex illis, de quibus Propheta: *Benedixit eis, & multiplicati sunt.* Hebræi propterea multiplicati sunt, quia Deus ipsis benedixerat. Benedictio enim diuina est caussa fœcunditatis, & fœcunditas signum benedictionis diuinæ. Ignarus igitur quid diceres, verum dixisti, sicut olim asina Balaam Nam testimonio fœcunditatis doces à Deo benedictam, & fauore diuino corroboratam, qui eam plantauit & auxit, sicuti cæteras Ecclesiæ sanctę familias; & istud incrementum deflens, egregiè expressisti mœrorem animi, quo Melanchthon tuæ sectę consors angebatur morti iam proximus, lectoq; affixus. Nam cùm audiisset, quæ & quanta Iesuitæ in Indiis quotidie præstarent, in cubitum erectus: *Bone Deus* (inquit Latinè) *quid est hoc, video totum mundum plenum Iesuitarum:* Moriendum tamen illi fuit cum hoc cruciatu, tibique similiter cum eodem viuendum & moriendum erit, & de te tuisq; sociis cãtabitur illud: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.*

Nec contentus es iniuriis & calumniis in homines, alias insuper in Deum & Sacramenta adiungis. Nam multis locis Inuectiuę tuę agis, *Iesuitas per Sacramenta populum seducere,* & confessiones vocas more hæreticorum *impias.* Nam exorcismi, benedictiones, Sacramenta, & ceremonię Catholicæ appellantur à Wiclefo, Caluino, & à Prædicantibus nostri temporis, *incantationes & necromantiæ.* Iesuitæ igitur in Confessionibus, tuâ sententiâ, incantant, dum dæmones, hoc est, peccatum, errorem, & hæresin ex hominum animis expellunt, & Deo reconciliant peccatis obstrictos, per Sacramẽtum Pœnitentiæ & Confessionis, præcipuum in ouili Chri-

Psal. 106. Diuina benedictio est caussa fœcunditatis.

Genes. 2. 9. 13. 15. Psalm. 39. 106

Dictum Melanchtonis de Iesuitis.

Psal. 111.

Qualis Arnaldus in Sacramenta. Alphõs. à Castro li. 6. contra hæreses. Caluinus eandẽ hæresin sequitur li. 4 Instit. ca. 10, & 19.

& Kemnit. 2. parte exã pag. 852. & illyricus Cẽt. 1. & 2.

sti instrumentum, quo oues ægrę & morbosæ curantur, & deuiæ palantesq; reducuntur, instrumentum dæmoni eiusq; satellitibus tam inuisum, quàm vtile Christianis; teque ad bacchandum & rabiosè vociferandum impellit, vt Confessiones in odium & contemptum adducas. Sed impius & blasphemus es in Deum, licèt Iesuitæ tales essent, quales tu nobis mendaci stilo depingis. Nam cùm Sacramentorum vis & veritas minimè pendeat ex bonitate Ministrorum, sed ex Deo, qui ea instituit; fieri non potest, vt malitiâ Ministrorum mala efficiantur. Quapropter quicunq; ea vocat *impia*, impiè diuina Mysteria traducit. Potestne Baptismus vocari *impius*, quia eum impius aliquis administrauit; aut Sacramentum altaris impium, eò quòd improbus illud confecit, aut eo abusus fuit; aut sacra Scriptura impia, quòd aliquis hæreticus eam legit, aut exposuit?

Sacramentorũ vis & ueritas non pendet à Ministro bono uel malo.

1. Cor. 1. Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. cap. 12. Nazian. or. in s Bapt. August. contra Cresc. li. 4. c. 10. & li. 4. contra Donat. cap. 4.

CAPVT XXII.

De Iesuitarum in Galliam aduentu.

De Iesuitarum in Galliam aduentu.

Confessionibus Iesuitarum transis ad ipsorum in Galliam aduentum. *Non venerunt*, inquis *in Galliam, explicatis vexillis.* Vtinam vel semel veritas te respiceret, vel potius tu illam. Poterántne in Galliam venire, & in ea manifestiùs viuere, quàm scholas publicas aperiendo, concionando, viuendo cum aliis eiusdem regionis incolis, docendo, cumq; tuis Præceptoribus Ministris disputando in oculis Regum, Parlamentorum, Vniuersitatum, Magistratuum vrbium, & totius orbis? Estné hoc cuniculis, & clanculum agere, ac non potiùs vexillis volitantibus aduentare? Nonne hoc est venire nõ tantum tympano pulsato, sed etiam adhibitis fistulæ modulis clangentibus tubis, thorace aheno corpori circumdato, manuq; armata,

Nõ irrepserunt clam in Galliã.

mata & instat acici, conflictum iamiam expectantis? Adeò apertè & luce palam venerunt, vt ab omnibus sint visi, vel potius inuasi & oppugnati; vt proinde necessarium fuerit virtute & patientia egregiè tectos & munitos esse, vt imperterrito pectore sustinerent primam hostium impressionem Parisiis in illos factam Anno M. D. L X I V. simul atq; in Vrbe pedem posuerunt, eo videlicet tempore, quo tantus ciuium & optimatum numerus sese ignotis adhuc opposuit; quando decem Aduocati, nomine & loco decem diuersorum ORdinum & Statuum, Ecclesiasticorum simul & politicorum, iisdem, lite intentata, diem dixerunt, & illi quidem non ex vulgi fæce, sed totius vrbis & Vniuersitatis facilè primi. Quando Cardinales, Episcopi & Abbates, Gubernatores, Scabini, seu consules, Rector, Sorbona, Facultates, Xenodochia, imò etiam Ordines Mendicantium conuenerunt, quidam bono fine, vt discerent, quinam essent Iesuitæ; alii inuidia & odio, tibi similes, vt ex Gallia pellerentur; quando theatra, Comœdiæ & Tragœdiæ, mimicæ actiones & declamationes non aliud tonabant quàm calumnias: ridebant, accusabant nomen, vestes, actionesq; Iesuitarum; quando per Vniuersitatis vicos & compita iter facere nequibant, nisi insanis clamoribus & sibilis excepti, nec extra vrbem pedem efferre, quin verberibus malè mulctarentur: fuitq; iste impetus tam acer, & tam violenta oppugnatio, vt eius fama per totam Europam manaret.

Persecutio Parisiis in Iesuitas excitata.

Neque vlla vnquam causa tantoperè in Senatu agitata, neque tanta contentione publicè acta, neque accuratiùs examinata, & iudicii quasi trutina expensa fuit; vt ne aurum quidem in mediis flammis ita probari possit, sicut de Iesuitis Lutetiæ periculum sumptum est. Sed deus, qui tanquam præses consilia Iudicum moderatur & regit, insontiumque patrocinium suscipit, etiam Catholico illi & sacro Senatui

pro

pro Ieſuitarum cauſſa adſtitit; vt non modò ſententiam cõtra illos non pronunciârit, ſed ex illo temporis puncto patrem & protectorem Societati ſeſe præbuerit: idemq; Deus Ieſuitarum patientiam tam copioſè remunerauit & compẽſauit; vt illud ipſum, quod perniciem allaturum videbatur, cauſſa ſalutis fuerit. Nam perſecutio & exagitatio adeò formidabilis, oculos mundo aperuit, vt clarè intelligeretur, quinam eſſent Ieſuitæ, quæ illorum viuendi ratio & norma, quæ virtutes; eademq; aduerſitas Ieſuitis apud omnes probos, infimos, medios, ſummos, inſignem beneuolentiam & amorem conciliauit, & nominatim apud Dominũ de Thou, grauem illum, doctum, & pietate illuſtrem virum, tunc Cõſilii Regii ſummum Præſidem; qui eo maiorem ipſis nauauit operam, quò certiùs cognouit, quantum vtilitatis labore ſuo Reipub. Catholicę & Gallicanę afferrent. Et vt hæc tanquam vera perſuadeam, alio teſtimonio nõ egeo, quàm temporis illius repetita memoria, & conſcientia eorum, qui hæc coràm ſpectârunt, quorum non pauci adhuc ſuperſtites. Neque in vlla Galliæ ciuitate ſedem fixerunt Ieſuitæ, in qua multis experimentis iisque arduis & difficultate plenis non ſint tentati & explorati. Sed ex his fluctibus incolumes ſemper emerſerunt; idq; vel patientię & animi æquitate rebus aduerſis, vel præſtanti pietate rebus proſperis.

Dominus de Thou, ſupremꝰ præſes Pariſiis.

CAPVT XXIII.

Quid intelligat Arnaldus nomine coniumtionis Hiſpanicæ.

CONSIDERA iam, qua conſcientia & fronte dicere auſus ſis, *Ieſuitas clanculum in Galliam irrepſiſſe, neque vexillis explicatis intrâſſe.* Os tuum hoc loco verè mendax, impudens, iniurioſum, & hæreticum nominauero;

ro: Vbi rationem reddere volens, cur Iesuitę illo anno tam aduerso ex Gallia non sint proscripti, ita loqueris: *Quis nescit, anno LXIV. nullum tantum animi habuisse, qui loqueretur liberè contra Hispanicam coniurationem?* Per *coniurationem Hispanicam* nihil aliud hîc intelligere potes, quàm Ecclesiam Catholicã. Nam si verba tua ea notione, quam primo aspectu præ se ferunt, accipiamus; necesse est, vt omni omnino sensu careant: nam eo tempore regnabat Carolus IX. Christianissimus, & populo Gallicano Rex longè charissimus, cui duo erant fratres ætate & robore florentes, neque tunc vel tenuissima alicuius coitionis & factionis Hispanicæ suspicio erat. Intelligis igitur, nomine conspirationis Hispanicæ Ecclesiam Catholicam, & Galliam Catholicam, in quam nemini tunc licebat petulantem linguam exerere, & qui, cùm id maximè vellent, non tamen audebant, nulli alii erant, quàm hæretici, qui valido freno coërciti, loqui non audebant, ne *ianuis quidẽ clausis*, nedum in consessu publico, Iesuitas certè significare nõ potes nomine *coniurationis Hispanicæ*, quia liberè quisq; in eos, & quidẽ nimis liberè verbis inuehebatur. Illi ergo, contra quos nullus loqui audebat, erant Catholici; & qui non audebant loqui, erant hæretici, de quibus ais: *trepidi erant omnes boni & elingues, cùm dicere, quod nolles, miserum; quod velles, periculosum.* Isti igitur, sententiâ tuâ, erant *boni*; & qui iam tum optassent, Iesuitas impedire, si potuissent, ne in Gallia sedem figerent, qui iam ab inferis excitati, & liberi effecti loquuntur, & vt loquaris liberè, efficiunt, illi sunt, qui Iesuitas condemnabunt, profligabunt, & exequẽtur id, quod tunc ausi nõ sunt, aut non potuerũt. Ita, vt tuo iudicio nulla spes sit fore, vt Iesuitæ istorum impetũ & manus violẽtas euadant. Hæc est tua conclusio, inuoluta illis arrogantia, tumentib⁹ verbis: *Quid igitur putatis, vos, ô exploratores Hispaniæ, adducere posse, quò vos resq; vestras defẽdatis?*

Nomen coniurationis Hispanicæ ab Hæreticis inuentum.

CAPVT XXIV.

De quarto Iesuitarum voto.

NIHIL amplius hac de re adferam; sed gradum faciam ad argumentum, quod petis ex quarto Iesuitarum voto Apostolicæ Sedi nuncupato, quo probas, Iesuitas esse Hispanos, quique Regibus Franciæ neque subiici, neque fide data obstringi queant. Sic enim quodam loco scribis: *Cui ne fidelitatis quidem obligantur Sacramento; vt pote incapaces, talesq; quorum cœtus tota nullibi approbatus Gallia, quique alioqui Vasalli ligij, obligati in omnibus & per omnia tam Generali suo, quàm Papæ.* Idemque multis aliis locis repetis, vt inde extundas, *Iesuitas esse Hispanos.* Cogor tua vestigia sequi, vt initio dixi, hocq; non tanquam crimen, sed vt mendacium refellere. Neque enim adeò tuam linguam pertimescunt Iesuitæ, vt non libera voce testificentur, se malle quosuis in Media Castilia nasci, vt sint Catholici, quàm in vrbe S. Ioannis de Angelo, vt fiant hæretici. Sed quæstio est de facto, non de Iure; de veritate, non de crimine: refutandum est, quod dicis, & ostendendum, te vbique *Arnaldum* esse, hoc est, calumniatorem & conuitiatorem. Calumniator cùm præclarũ facinus aliter eleuare non potest; id malo fine & mente peruersa factum asserit. Sic dæmon calumniatus est Sanctissimũ virum Iob, quasi spe diuitiarũ Dei tam reuerens & obseruãs esset. Eodem modo & ingenio tu vota Iesuitarum, & quicquid Dei & proximi amore, & ipsius etiam Gallię caussa agunt, criminaris & in mõtes pyrenæos reiicis; cumq; præclaras actiones multo lumine illustres & cõspicuas inficiari nequis; nebula tamen nescio qua obscuras & obumbras, sinistreq; interpretaris, & ad improbitatis tuæ tortuosos anfractus inflectis; quasi videlicet omnia referant tanquam Hispani ad Hispaniæ gloriam

Iob. 1. & ibi. S. Gregor.

Ineptiæ Arnaldi.

ex

extollendam. Sed accedamus ad Votum. *Iesuitæ quarto voto Pontifici seſe obstringunt.* Quid tum? *Omnes igitur sunt Hispani.* En scitam & ex intima arte depromptam conclusionem, non absimilem huic: *Luna in cælo splendet: Igitur rosæ sunt stellæ.* Quæ conclusio nec vera, nec bene formata est. Ex omnibus nationibus Iesuitas reperies: cur omnes propter hoc votum censebuntur Hispani? *Quia Papa semper est Hispanus:* hanc enim rationem reddis, quam & priscæ & hodiernę historię redarguunt, quibus constat, tot aut plures, quàm alterius nationis Pōtifices Gallos Petri cathedram tenuisse; & post approbatam Societatem, nullum Hispanum ad supremum Pontificatus culmen euectum esse: *At omnes animo & voluntate Hispani sunt:* sed hoc est coniectare, inconsideratè quíduis effutire & calumniari. Sed esto, verum sit, quod dicis (licèt experientia mendacii te accuset) num proterea necesse est, vt qui singulari voto Pontifici suam operam obligárunt, eodem affectu imbuantur, qui ad fidei negotium nihil penitus pertinet? Omnes Christiani, quâ tales, debent Pontifici obedientiam, num ob id omnes Hispani? Quare falsa est tua conclusio, & malè collecta. *Mendacium de pontificibus.*

Si bonus fuisses Catholicus, & bonus Logicus, & non ignorans & arrogans Hugenotus, verè & prudenter conclusisses ex hoc voto, Iesuitas esse Apostolicę Sedi cumprimis deuotos, & eximia pietate addictos, indeq; occasionē ipsos laudandi desumpsisses, non tantùm quòd ex aduerso hæreticis rebellionis filiis & capiti Ecclesiæ tam infestis seſe opponāt, sed etiam quòd istud votum maximè verbo Dei, ipsorumq; instituto consentiat. Votum his verbis continetur; quæ inter Professionem post tria Religionis vota, pronunciari solent: *Insuper promitto specialem obedientiam Summo Pontifici circa missiones.* Quibus verbis nihil aliud significant, quàm se promptos & alacres fore ad omne illud sine tergiuer- *Verba quarti voti.*

uersatione exequendum, quod Pontifex mandauit, siue iubeat proficisci ad Indos, Turcas, aliosue infideles & hæreticos, siue ipsos fidelibus & iam Christiana religione initiatis suam operam nauare velit. Hoc votum non nisi sanctum iudicabunt omnes illi, quibus aliquid iudicii suppetit. Nam cùm Societas seipsam deuouerit, penitusq; mancipârit diuino obsequio, gloriæ Dei, animarumq; saluti & conuersioni, nõ potuit sanè liberaliùs sese offerre, & alacriùs Christi Vicariũ inuitare; vt hac oblata operâ vteretur in gregis sui emolumentum multò maximum, & in honorem eius, cuius vices in terris gerit. His enim quodammodò verbis Summum Pontificem Societas affatur: *Ecce parati sumus quoslibet labores suscipere, quocunque terrarum Sanctitati Vestræ nos amandare placuerit ad conseruationem & amplificationem Christianæ fidei.*

Nemo concionãdi munus sibi sumere debet, nisi mittatur.
Hier. 23.
Luc. 9.
Marc. ult.
Ioan. 17. & 20
Concil. Lat. c. 3. Innoc. 3. ep. ad omnes fideles.
Rom. 10.
Hier. 23.
Ioan. 10.

Deinde cùm nullus concionandi munus sibi sumere debeat, præsertim omnibus orbis in oris, vt faciunt in Ecclesia & pro Ecclesia Iesuitæ, nisi mittatur, & superioris auctoritate muniatur; non poterant sanè Iesuitę consultius & verbo diuino conuenientius agere; quàm si supremum in Ecclesia caput, familiæq; Christianæ Oeconomum & dispensatorem adirent; ad cuius officium spectat, destinare alios, vt laborent, in vineas, alios in agrum, alios in alias possessiones Dominicas. Arcet Deus omnes illos á docendi officio, qui potestatem ad id acceptam literis quasi patentibus & testimonio publico probare nequeunt. *Quomodo* prædicabunt, inquit, per S. Paulum, *nisi mittantur?* Et Hieremias cõqueritur de falsis Prophetis, quia currebant & prophetabãt non missi. *Ego non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: ego non loquebar ipsis & ipsi phetabãt.* Hoc vno signo hęretici veteres & recentiores produnt se lupos esse, non pastores; hæreticos; non doctores, non ingredientes per ostium, & concionantes nullius missu aut concessu; propterea Tertullianus

Tertul. de præscript.

ipsorum

ipsorum doctrinam tanquam nullam exagitat & oppugnat, hoc solo argumento: *Qui estis vos, quando, & vnde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique, Marcion, iure syluam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transuertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio: olim possideo, habeo origines firmas, ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum.* Hoc totum occinit iam Ecclesia Catholica hæreticis nostri temporis. *Hugonoti, quando prodijstis in mundum, & vnde orti estis? Quid in meo agitis non mei? Quo iure, Luthere, syluam meam cædis? Qua licentia, Caluine, meorum fontium canales transuertis? Qua auctoritate, Beza, limites meos commoues? Iam olim possideo, prior sum iure & tempore, bonos habeo titulos, origines firmas, ab ipsismet Apostolis, quorum res fuit. Ego ipsa sum vera hæres.* Quamobrem non debeas hic Iesuitas conuitiis insectari, si verus esses Catholicus: sed conuerso stilo quàm maximis laudibus efferre, quòd hoc suo voto, sponte sese ad obseruationem diuinorum mandatorum obligent, exẽploq; tam perfectæ obedientiæ hæreticorum cerebrosam rebellionem expugnent: laudare debebas, quòd genuinæ reuerentiæ & in Sedem Apostolicam obseruantiæ nota insigniti, Papam cum S. Irenæo singulari pietate agnoscant, *tanquam potentiorem Ecclesiæ Principatum habentem:* cum Prosspero, *Summum Pontificem & Apostolicum Sacerdotem:* cum S. Iuone Episcopo Carnotensi, *patrem patrum:* cum S. Bernardo *caput Ecclesiæ*, quodq; cum magnis istis Doctoribus sanctitate & eruditione clarissimis, verisque corde & lingua Gallis eum venerentur & colant, qui suis manibus cæli claues gerit.

S. Iren. li. 3. c. 1.
S. Prosper. li. 2. de uocat. Gẽt. ca. 16.
S. Iuo epist. 12.
S. Bern. e. 125.
Matth. 16.

CAPVT XXV.

Iesuitas ab omnibus Galliæ ordinibus receptos esse.

QVARE spatiosus tibi aperiebatur hoc loco campus decantandi laudes Iesuitarum, si rectè sapere & loqui didicisses: quos dum accusas ob illud votum, nihil aliud carpis, quàm studium promptamq; voluntatem obtemperandi Papæ, quo ipso quasi *Papistas* vocitas vsitato hæreticis in Catholicos conuitio. At quod agis, Iesuitas *non posse fidelitatis Iuramentum Regi præstare*, verum est, non ob illas causas, quas proponis, quæ nullius sunt momenti; sed quia vt & cæteri Religiosi ad id non obligantur, cùm valedixerint mundo: qui licèt membra sint Reipub. Christianæ; ad politicam tamen & temporalem potestatem, neque vt integrum quoddam, neque vt partes pertinent: Regum administri, nobiles, vrbiumque viri primarii, solito iureiurando Regibus sese deuinciunt; idq; vel ratione officij, vel feudi, vel vtriusque: Religiosi, quales Iesuitæ, quibus cum huiusmodi negotiis nihil est commercii, non magis adiguntur ad fidem Regibus obligandam, quàm infimi hominum opifices. Et quamuis exigeretur ab illis fidelitatis promissio; nulla tamen ratio obstat, quò minus salua Religione & conscientia eam præstare possent, multoq; minus obstant rationes tuæ, quæ duobus mendaciis fulciuntur. Altera ratio est, quòd Iesuitarum Societas & quasi communitas non sit in Gallia communibus suffragiis recepta & approbata: Altera, quòd Iesuitæ per votum obedientiæ efficiant sese absolutè *vasallos* Papæ, & sui Generalis Præpositi.

Vtrum Iesuitæ iuramentum fidelitatis, præstare possint regibus.

Duæ rationes Arnaldi.

Prior ratio adeò falsa & vana est, vt dicere ausim, nullũ vnquam Religiosorum Ordinem tanta omnium Statuum & Ordinum approbatione & consensione in Galliam admissum, iureq; ciuitatis donatum esse. Recepti enim sunt Iesuitæ & admissi ab Ecclesia & Clero Galliæ in Conuentu generali Poissiaco, vt ex ipsis illius conuentus actis scripto consignatis indubitata fide constat; idq; præsentibus & annuentibus

Vanitas & falsitas prioris.

Iesuitæ in Gallia recepti sunt à Clero.

nuentibus Illustrissimis Cardinalibus, Lotharingo & Turnonio, quod in actione tua ægrè admodum fateris, nec sine glosis ex cerebro tuo exsculptis: quæ cui rei seruiant, non video, nisi quòd te mendacem & insignem calumniatorẽ ostendunt. Mendacium est, *Collegium ipsorum receptum fuisse, sed ea conditione, vt ipsa Religio Societatis ex Gallia pelleretur, nec cognomen illud suum in posterum vsurparet.* At calumnia est, cùm dicis, *operâ duorum Cardinalium sententiam fuisse signatam, non audita prorsus Academia*, quod tu pro tua mentiendi libidine confinxisti & protulisti per summam iniuriam & contumeliam in duos Principes, quorum porcos pascere, & corrigiam calceamentorũ soluere, si viuerent, ne præstantissimus quidem tuæ cognationis dignus esset.

Recepti & admissi sunt Iesuitæ ab omnibus Christianissimis Galliæ Regibus, qui ipsos nosse potuerunt, Diplomatis regiis, literisq; publicè vulgatis, à Rege Henrico II. Anno M. D. L. à Francisco II. Anno M. D. LX. à Carolo IX. Anno M. D. LX. & LXIV. & LXV. ab Henrico III. Anno M. D. LXXX. & M. D. LXXXIV. *A Regibus.*

Supremi Gallię Senatus Iesuitarum Collegia admisserũt, & præcipuè Parisiensis, qui Poissiacam illam admissionem & approbationem ratam habuit, vt & maiorem partem diplomatum regiorum. Pro iisdem sæpè idem Senatus sententiam tulit, quando vel fundatio Collegiorum oppugnata, vel legata testamentis in eleemosynam relicta, in dubium reuocata fuerunt. Cameræ rationum, qua quidem licuit, ipsos receperunt, Collegiorumque possessiones approbarunt. Ciuitas Parisiensis concesit ipsis eadem priuilegia & immunitates, quibus Academia & Collegia Academica fruuntur. Huius exemplum secutæ sunt reliquę vrbes Gallię, in quibus domos habent. Academiæ Gallicanæ Societatis Collegia non modò summo consensu approbarunt, sed *A curiis et parlamentis Galliæ. A cameris seu Magistris Rationum. A ciuitate Parisiensi. Ab Academiis Galliæ.*

& in

& in corpus & Rempub suam adscripserunt, quod Tholosę, Burdegalæ, & Biturigibus factũ est. Imò ipsa Parisiensis Academia voluit, vt suis priuilegiis gauderent, quemadmodum alia Collegia eiusdem Vniuersitatis, vt patet ex literis datis à M. Iuliano, de sancto Germano eiusdem Academiæ Rectore, M. D. LXIII. ab ipso subsignatis, & sigillo Vniuersitatis munitis. Sorbona suo decreto 9. Iulii suprà citato, publicè declarauit, se quatenùs ipsa quidem poterat, Iesuitas pro admissis & receptis habere. Quod decretum iure abrogare censetur, vetus illud M. D. LIV. quo tantoperè tu, tuiq; sodales gloriantur, & tam furiosè digladiantur. Latũ enim & promulgatum est Iesuitis, nec visis, nec auditis, absque vlla cognitione & examinatione. At hoc posterius editum non est, nisi post triginta annorum experimenta de Iesuitis sumpta. Solent autem sententię posteriores præferri prioribus tanquam maturiores, magisq; ad iudicii trutinam exactæ & expensę. Et si qua diuersitas in legibus exoritur, vltima abrogat & inualidam reddit primam, vt ait Cicero. Iam igitur ostende mihi, si potes, vllam Religionem, quæ in Galliæ regnum iustioribus titulis, & maiore omnium consensu venerit, quàm ista Societas; Aut si nequis, fatere te esse *Arnaldum*, cùm dicis, Iesuitarum Societatem nondũ esse in Gallia approbatam: fatere, tuam rationem esse falsam, quando dicis, non posse Iesuitas præstare Regi iuramentum fidelitatis, quod non sint in Gallia recepti.

A Sorbona.

Antiquum Sorbonæ decretum abrogatum per nouum.

CAPVT XXVI.

Iesuitas non fieri Vasallos Pontificis & Regis Hispaniæ per votum obedientiæ.

Secunda

SECVNDA tua ratio æquè falsa est, ac prima. Nam nullus est Iurisconsultus adeò in Iure hospes, qui non videat, votum obedientiæ, quo se Iesuitæ Apostolicæ Sedi obstringunt, non efficere illos eiusdem Sedis *vasallos*, vt ais: quo satis apertè significas, te non modò ignorare, quid dicas, sed etiam quid sit absolutè *vasallus* nondum perspectum habere, quod tamen tuę professionis vir meminit nosse debet. Principiò, nemo potest fieri *vasallus Ligius*, nisi ratione alicuius feudi aut beneficii temporalis ob finem temporalem collati. Deinde, non potest fieri, vt quis duorum dominorum sit *vasallus ligius*, vt ipsemet fateris: At Iesuitæ nullum feudum obtinent à Papa in Gallia, nec aliquam temporalem dignitatem; quomodo ergo possunt esse *vasalli* absoluti Pontificis? Forsan creare nobis cogitas *vasallos* sine feudo, & Canonicos sine beneficio Ecclesiastico, eo modo, quo sine lege litem Iesuitis intendisti. Facis etiam ipsos *vasallos ligios*, vt Iurisperiti loquuntur, Generalis ipsorum; oblitus eorum, quæ dixisti, non posse aliquem esse *vasallum ligium* duorum Dominorum; si sunt vasalli ligii Papę, quomodo etiam sui Generalis erunt? Visnè duos maritos vni mulieri iungere? Sed si Vasalli sunt Papæ, quomodo eadem obligatione obstringi possunt suo Generali, qui & ipse tuo iudicio Pontificis vasallus est? hinc quatenus talis non permittitur à iure habere sub se vasallos absolutos, cùm non sit supremus Princeps: quòd si Iesuitę absolutæ sint vasalli Papę, tantùm ratione voti; sequitur omnes Christianos potiori iure fore Papę vasallos, ratione videlicet obligationis maioris & generalioris. Nam hoc voto non obligantur Iesuitæ Pontifici, nisi ad missiones in varias orbis partes Euangelii disseminandi caussa: At Christiani, quatenùs Christiani, tenentur Pontificem in omnibus, quæ ad fidem pertinent, tueri, & immunem præstare à quorumcunq;

Vnus non potest esse Vasallus Ligius duorum.

rumcunque insidiis & machinationibus, quę propemodum conceptis verbis formula est iurisiurandi, quo fidelitas & obsequium Principibus promittitur ; dummodò materia Religionis & fidei mutetur in materiam Reipub. externæ & politicæ. Quocirca, si doctrina tua vera est, non poterit Christianus fidelitatis iureiurando Principi sese obligare. Ex quo rursus consequitur, regnum Gallię tot tantisq; homagiorum & vasallagiorum iuribus priuandum esse, vt & cæteros Reipub. Christianę Principes. Nam nullus poterit esse Regis absolutus vasallus, cùm sit vasallus Pontificis, quatenus Christianus: necesse igitur erit, vt quis aut non baptizetur, aut baptizatus ab obedientia Papæ recedat, & Paganus & hæreticus fiat, vt sit Regis vasallus absolutus. Atqui neque Reges, neq; proceres Galliæ, tanto dispendio hoc ius hancque dignitatem sibi comparare cogitant.

Itaque ne erremus: satius est dicere te errare, tuasq; rationes esse rationi contrarias; & totam tuam probationem nihil aliud esse, quàm farraginem & contextum quendā mendaciorum & ignorantiæ. Neque enim cùm quis Domino spirituali obligatione aliqua obstringitur, vasallus illius absolutè efficitur: neq; quidquam adimit obligatio spiritualis ei, qua Principibus politicis obstricti tenemur. Quilibet Clericorum cum sacro Sacerdotii ordine initiantur, in hunc modum ab Episcopo interrogantur: *Promittis mihi & successoribus meis reuerentiam & obedientiam?* Et quisque respondet: *Promitto.* Ista promissio & obedientia Episcopo promissa generalior est, quàm sit illud quartum Iesuitarum votum; & tamen nemo prudens asseret, Sacerdotes propterea desinere esse fideles subditos & vasallos sui Regis. Imò si cōtrouersia de Dominio & temporali Iurisdictione cum Pontifice oriretur, nullum dubium est, quin Iesuitæ, Galliarum incolæ, starent contra Pontificem à partibus Regis Galliæ: quippe

Sacerdotes promittunt Episcopis obedientiā.

quippe quem solum Dñum temporalem Galliæ agnoscunt: Sed neq; Sacerdotes neq; Iesuitę debent tales vasalli esse, quales tu nobis, velut *nouus Iustinianus*, describis, qui scilicet in omnibus & per omnia simpliciť & absolutè regi obediãt, quidquid tandẽ Roma adferaẽ; quidquid sit quod Deus & eius Vicarius prohibeat aut præcipiat. Nec quærunt Reges Gallię re & nomine christianissimi tales vasallos; nã contẽti iure Cęsari debito, id quod Dei est, minimè sibi adscribunt. Hinc detestantur etiam tuam adulationem. Ad euertendam igitur tuam conclusionem Hispanicã, ita concludo: Si Iesuitę Galli non sunt vasalli Papæ, neque sui Generalis; vtique neq; esse possunt Regis Hispaniæ, cui non obligantur, nisi ea obligatione, qua omnes Christiani generaliter omnib. Christianis Principibus obligantur. Aut si propterea, quòd sint vasalli Papę, & sui Generalis, non possunt esse vasalli Regis Franciæ, quomodo poterunt esse Regis Hispaniæ? Quodnam ius maius ibi erit; aut quæ maior obligatio? Cõcludo igitur, Iesuitas esse fideles & bonos subditos Summorum Pontificum & Regum, & bonos Gallos, & te neq; bonum Gallum esse, qui tam malè ius Gallorum tuearis: neque bonum vasallum Regum Galliæ, quòd illis fidem non præstes, honoremq; debitum neges, minusque bonum esse Catholicum, oppugnando Pontificem, communem omnium Christianorum parentem.

Arnaldus neq; bonus Gallus, neq; bonus Catholicus.

CAPVT XXVII.

In superiore agnoscendum & colendum esse Deum.

INspiciamus iam, vtrum peritiùs probes, Iesuitas esse Hispanos, ob votum obedientiæ, quo Generali suo sese obstringunt. Argumentum tuum his

verbis formatum est. *Præcipuum illorum votum est, obedire per omnia & in omnibus Generali suo ac Superiori, qui semper est Hispanus, electusque suffragio Hispanici Regis: Cuius rei testimonium esto vel experientia ipsa; sunt ergo Hispani:* Et paulò pòst: *Verba quarti illius voti mira prorsus sunt, imò horrenda; eo enim pysque procedunt: in illo Christum velut præsentem agnoscamus.* Et alibi: *Quibus votum illud est quartum ac præcipuum, obedire absolutè per omnia & in omnibus, tum Generali Hispanico homini, tum Papæ.* Vis & sententia argumenti talis est: Iesuitæ habent suum Generalem semper Hispanum, cui obediunt, vt Dei Vicario: sunt igitur Hispani. Paucis verbis sex insignia mendacia protulisti cum ingenti stupiditate coniuncta. Mendacium est, Iesuitas habere in suis votis hæc verba: *Per omnia & in omnibus.* Mendacium est, ipsos facere votum obedientię suo Generali: Deo enim faciunt, *vouentq; diuinæ Maiestati paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam in Societate Iesu;* & si promittant obedire Generali; promittunt, vt Dei Vicario in administratione istius Societatis. Aliud mendaciũ est, & quidem crassius, Iesuitas nuncupare quartum votum, quo sese obstringant Generali, neque vt Dei Vicario, neque alia huius generis ratione considerato. Nec minùs à vero alienum est, quòd ais, Regem Hispanię Societatis Generalem eligere: eligitur enim in Congregatione generali, ad quam multi ex diuersissimis nationibus conueniũt, qui præmisso iuramento suffragiis liberis scriptoq; comprehensis eligunt illũ, quem re Domino diligenter precibus & sacrificiis commẽdata, existimant omnium aptissimum, qui summa cum potestate Societati præsit. Mendacium insuper est, Iesuitarum Generales semper esse Hispanos: nam post ipsum fundatorem Ignatium Loiolam, qui Biscainus fuit, duo tantùm fuerunt Hispani Iacobus Laynes, & Franciscus Borgia. Euerhardus Mercurianus erat Leodiensis: Quintus adhuc superstes

Paucis uerbis sex Arnaldi mendacia.

Iesuitarum Generales.

ſtes Claudius Aquauiua, Italus eſt, ex Ducum Atrię familia Hiſpanis ſemper ſuſpecta, quod à partibus Gallorum ſteterit. Sextum mendacium eſt, verba iſta: *In illo Chriſtum veluti præſentem agnoſcimus* inſerta eſſe votorum formulę.

Iam verò quàm ſtolida & bruta illa, qua laboras, inſania eſt, cùm prædicta verba, *In illo Chriſtum veluti præſentem agnoſcimus*, etiamſi votorum formulę inſerta eſſent, appellas *mira & horrenda*. Si enim Deum præſentem agnoſcimus, veluti cauſſàm in ſuis effectibus; in omnium creaturarum minima, imò in ipſa culicis natura; ſi in fabrica ſpinæ dorſi, Ariſtoteles Ethnicus, & Medici ſolo luminæ naturę illuſtrati agnoſcunt Deum: adeone mirum exiſtimas, ipſum in homine, vera Dei imagine agnoſci, & in homine quidem antiſtite, ab ipſo Deo ſpecialiter miſſo, tanquam Maieſtatis ſuę Legato & Vicario? *Ego*, inquit S. Paulus, ſi *quid donaui, in perſona Chriſti donaui, & pro Chriſto legatione fungimur.* Nam cùm eſſet Dei legatus, perſonam Dei referebat. Audi D. Baſilium: *Prælatus*, inquit, *nihil aliud eſt, quàm ille, qui CHriſti perſonam tenet.* An neſcis quaſdam eſſe perſonas & actiones, quę cùm præſtantes & ſublimes ſint, inſigniter Deum referant, quippe cùm in eis Deus, tanquam in imagine ſe quodammodò aſpectandum exhibeat? Iudicis officio fungi, & ius dicere, eſt Dei perſonam actione diuina referre. Hinc Iudices dicuntur Dii: *Ego dixi, Dij eſtis*; Et: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum*; hoc eſt, Deus in Iudicum concilio præſidet. Nam his locis, *Dei* nomen ſignificat Iudicem. Pari modo, Regem eſſe, & iuſtè ac piè regnare, eſt Dei perſonam actione diuina repræſentare, Regesq; huius actionis excellentia imaginem Dei præcipuè intuentium oculis obiiciunt. Hinc S. Gregorius Nazianzenus Imperatorem alloquens: *Imperium cum Chriſto tenes*, inquit, *cum ipſo in terris gubernas: tu es imago Dei.* Quod ſi diuino nutu aliquando contingat, vt im-

Deus relucet in ſuis effectibus. *Tertul. lib. 4. contra Marc. c. 14. Ariſt. 1. de partibus.* *2. Cor. 2.* *In Conſt. Mon.* *Pſal. 81.* *Ibid.* *Orat. ad ciues.*

probus Iudicis solium, & sceleratus regalem thronum insideat, id eò fit, vt mortalibus palàm fiat, illos non esse Deum, cuius imaginem gerunt, nihilq; extra Deum stabile & omnis mutationis expers reperiri. Continentur etiam hac ratione tanquam freno intra officij & submissionis limites, dum se variis peccatis & casibus obnoxios clarè intelligũt. Quẽadmodum porrò diuina bonitas liberaliter, vt sic dixerim, permittit, vt Iudices & Reges potestate accepta bene vel male vtantur: ita etiam iustè illos pro modo & conditione status sui, punit, & ad executionem decreti illius in Sapientiæ libro scripti, progreditur: *Potentes potenter tormenta patientur*, quando scilicet abusi fuerint ea potestate, quam Deus illis contulit ad suam gloriam, publicamq; salutem. Improbitas tamen & abusus non tollunt id, quod asserimus, videlicet in eiusmodi hominibus legitimè ad illam dignitatem euectis, Deum velut præsentem agnoscendum & colendũ esse. Si igitur Reges, Iudices, & Magistratus, ob gubernationem, qua res politicas & caducas ad salutem Societatis humanę moderantur, personam Dei sustinent & repræsentant; an tuo iudicio eandem non sustinebunt & repræsentabunt antistites, qui Religioni & ministerio altaris animarumque commodo procurando vacant, cùm istæ actiones, multa, cum diuinarum actionum præstantia communia habeant? Si ergo Deus in his tanquam in speculo quodam elucet; cur, obsecro, eum vbi est, præsentem non agnoscamus & veneremur? Nonnè igitur insipiens & impius es, cùm vocas mira & horrenda illa verba, quæ summę religionis clarissima sunt indicia & testimonia?

Sap. 6.

CAPVT XXVIII.

Superiori non esse obediendum, si quid mandet contra legem Dei.

Sed

SED obiicis; *Si* DEVS *in Prælato præsens agnoscitur: obtemperare ergo oportebit Prælato, si homicidium imperet.* Miserum te, & ignarum, vel potiùs Sophistam nefandum. Prælati, quâ tales, & vt patres spirituales, ius non habent mandandi talia, cùm ex Canonum & Ecclesiasticarum sanctionum præscripto remotissimi esse debeant ab omnibus actionibus sanguinariis: & quamùis in Prælato Deus præsens agnoscatur, Prælatus tamen non est Deus. Quare si quid contra legem diuinam præcipiat, subditus non tenetur hac in parte illi obedire. Nã cùm tantùm sit vices Dei gerens, mos illi minimè gerendus est, si quid contra Domini voluntatem iubeat. Hoc non ignorârunt Iesuitæ, tanquam omnibus Christianis cognitissimum: Nam hoc tantum illis præcipitur: *Iudicium suum cum eo, quod superior vult & sentit, in omnibus rebus, vbi peccatum non cerneretur omnino conformantes.* Quæ exceptio desumpta est ex D. Bernando, quam, ipsorum primus fundator Ignatius inseruit epistolę suę de obedientia. S. Bernadus sic ait: *Siue Deus, siue homo Vicarius Dei, mandatum quodcunq; tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum: vbi tamen Deo contraria non præcipit homo*; hoc enim casu non est illi obediendum. Nam qui præcipit aut agit repugnantia voluntati sui Principis; is eatenus Vicarij dignitatem amittit, seipsumq; imperandi iure priuat. *Quia sicut qui priuilegio abutitur, priuilegio priuatur: ita qui potestate abutitur, potestatẽ amittit.* Scriptura iubet obedire Magistratibus sæcularibus. *Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit.* sed si flagitium præcipiat, nulla illi hac quidem in parte debetur obedientia, vt S. Augustinus doctè tradit. *Si iubeat*, inquit, *potestas facere, quod non licet, hîc sanè contemne potestatem; ipsos humanarum legum gradus aduertite: si aliquid iusserit Curator, nónne faciendum est? Tamen si contrà Proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori*

Superioribꝰ aliquid cõtra legem Dei mandantibus nõ est obediendum.

Lib. de præcep. & dispen. c. 12.

25. q. 2. c. posteaquam.

Rom. 13.

De uerb. Dom. serm. 6. citat Gratian. C. Qui resistit. 11. q. 3.

maiori seruire: Si aliud Imperator, & aliud Deus; da veniam Imperator; tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc custodes & satellites Saulis cùm mandatum accepissent, vt Sacerdotes interficerẽt, excusarunt se, quia hoc erat contra Deum. Hinc Christiani maluerunt quæuis tormenta subire, & vitam cum sanguine profundere, quàm Idolis sacrificare, etiam si id illis ab Imperatoribus præciperetur. Hinc Machabæi grauissima potiùs perpeti supplicia præoptârunt, quàm contra Dei legem vesci carnibus, sicuti iubebat Antiochus.

1. Reg. 22.

Hinc supremi Regni huius Senatores, maluerunt olim officio & Magistratu suo abire, quàm iniusta Regis edicta suffragiis suis comprobare, vt accidit temporibus Regis Ludouici XI. quando præses Vaquerius stipatus plurium Consiliariorum comitatu, purpuratusq; ad Regem se contulit, conquestum ob minas Curię intentatas, nisi calculo suo, confirmaret edicta quædam Regis: quin & suo & Collegarum suorum nomine disertè Regi exposuit, se potiùs deserturum conditionem & officium, quàm iustitię defendendę propositum. Quod tam præclarum, omniq; laude dignissimum facinus tu nunquam feciſses, si eo tempore fuisses talis Consiliarius, qualis nunc es Aduocatus. Risisses viros illos iustitię tam tenaces, egregiamq; ipsorum & honestissimam voluntatem calumniatus dixisses, quæcunque Regis imperata alacriter facienda esse, quidquid Papa Romanus aut Deus ex æthere contrà intonet vel fulminet. Ne vnius assis huiusmodi tonitrua & fulgura æstimari debere. Non ita illi, iuris & æqui lumina & firmamenta: non enim erant *Arnaldi*, & tamen vt huius rei exitum videas, Rex tãta constantia obstupefactus, collaudatáque immota animi firmitudine, nihil vltrà tentandum putauit; sed edicta rescidit, regiaq; virtute ad famulorum suorum virtutem sese accomodauit. Tam hic igitur, quàm illi, pro certo habuerunt

Mirandum factis summi prædis Parisiensis.

obedi-

obedientiam non versari in rebus diuinæ legi contrariis. Eodem modo Iesuitarum obedientia, quam suo Generali Dei loco præstant, non obligat illos ad vllam rem, quæ vel Deo, vel proximo aduersetur.

CAPVT XXIX.

Refutantur ineptæ consequentiæ Arnaldi.

HAbes ergo Iesuitarum obedientiam, & quomodo Deum amore Dei præsentem in suo Magistratu agnoscant & reuereantur: habes etiam mendacia tua patefacta, assertionesq; temerarias confutatas: at verò collectio, quam deducere vis ex hac obedientia, non minùs est inepta & falsa, quàm assumptio. Faciamus enim Iesuitarum generalem Præpositum, cui sese voto obedientię obstringunt, semper esse Hispanum; anné idcircò omnes Hispani erunt? Anné amorem illum patriæ omnibus à natura insitum, momento temporis transferent in regionem & nationem exteram? Siccine vnico temporis pũcto affectionem omnium dulcissimam, & in intimis quasi animę fibris inhærescentem radicitùs euelles? Vlysses magis amabat fumum suæ Ithacę, quàm Calypsus regnum externum: qui habitant in Pedemontio, præferunt suas casulas Romanis palatiis. Si memoria natalis soli obliterari nequit; quomodo fieri potest, vt quis pietatem illam in patriam & nationem propriam exuat, aliamque mentem & aliquando priori planè repugnantem induat? Putásne Generalem Iesuitarum esse omnipotentẽ, vt naturas & constituti ones suorum arbitratu suo transmutare possit? Putásne, eũ cum subditis suis agere more eorum, qui pecuniam signant, quibus familiare nummos veteres noua inscriptione & imagine insigniendos colliquefacere, & tum denuò cudere?

Putásne, illum posse transmutare Polonos, Moscouitas, Germanos & Heluetios, Flandros, Italos, Lusitanos, Anglos, Scotos, Hybernos, & alias nationes, (ex quibus ista Societas constat) animis, corporibus, studiis, propensionibus, imò & toto cælo diuersas, quarum maior pars ab omni alio potiùs, quàm à suo natiuo loco abhorret? Putásne, illum ex omni ligno posse Mercurium efficere, & quosùis calceos cuiùis pedi, & quamùis galeam cuiuis capiti accomodare? Si tua illa Consequentia proba esset; tum sequeretur, cùm IEsuitarum Generalis erit alterius nationis (nam vt olim non semper fuit HISpanus, & vt neque nunc est Hispanus: ita nec inposterum semper erit HISpanus) Sequeretur, inquam, vt veluti Chamæleontes aut Protei, derepentè colorem suum & naturam ad nationem illam conformarent. Idem contiget aliis Religionibus. Nam si propterea, quòd primus fundator Ignatius tibi Hispanus fuit, (fuit autem Biscainus) & si propter successores illius Hispanos, omnes Iesuitę debent esse Hispani; omnes etiam Dominicani & Franciscani, qui sunt in Gallia, erunt aut Hispani aut Itali; quia S. Dominicus fuit Hispanus, & S. Franciscus Italus. Et maior pars generalium Ministrorum electi sunt ex his duabus nationibus. Omnes Bernardini Germanię, Italiæ, & Hispaniæ erunt Galli; quia S. Bernardus illorum fundator fuit Gallus, & cæteri Generales eius Ordinis sunt Galli. Quod si istas consequentias pro absurdis habes; fatearis te Logicum esse sine ratione, & Iesuitas non esse Hispanos tuâ sententiâ. Si non sunt Hispani: non sunt igitur auctores calamitatum Gallię; ideò enim eos auctores esse calumniaris, *quòd sint Hispani.*

Inepta consequętia Arnaldi.

CAPVT XXX.

Ignorantia Arnaldi, &, pro quibus Iesuitæ orent.

Acce-

ACcedamus ad alia argumenta, quibus idē vano conatu adstruere moliris. Ais enim, *Societatem istam natā esse in Hispania, & Iesuitas orasse pro Rege Philippo, non pro Rege Franciæ; eosdēq; stabilire passim Regnū Hispaniæ: Hispanos igitur & cladiū Gallicarum causſam esse.* Respondeo, Societatē Iesu cœptam esse, primasq; radices egisse in Academia Parisiēsi decē Magistris, eiusdem Academię candē bono omine auspicantibus; quorū primus erat Biscainus Ignatius de Loiola, alter Nauarræus Franciscus Xauerius: duo Galli Pascasius Broet, & Ioannes Codurius: Tres Hispani, Iacobus Laynes, Alphonsus Salmeron, & Nicolaus Bobadilla: duo Sabaudi, Petrus Faber, & Claudius Iaius, & vnus Lusitanus Simon Roderiques, quos huius Religiosę familiæ meritò dixeris primos *fundamētales* seu *angulares* lapides ex sex diuersis nationibus selectos. Nō est igit̄ nata in Hispania, nec primò recepta in Hispania, sed potius Parisiis. Sed citas pro te vitā Ignatii scriptā à Ribadeneira. At satis ostendis, te neq; teipsum, neq; alios intelligere. Nā Ribadeneira manifestè tibi aduersat̄. Tu quidē ex illo colligis, ipsam fuisse in Hispania receptā multò antè, quàm in cæteris locis: Sed qui Latinam linguam intelligit, ex illo loco colligit, citiùs admissam fuisse alibi, quàm in Hispania: tu vis dicere, illam fuisse priùs in Hispania approbatam & stabilitam; & Ribadeneira dicit, eam primò in Hispania persecutionem passam fuisse, antequam vel recepta, vel nata esset. En tibi Ribadeneirę verba à te citata *Nam hæc Societas nondum nata, in auctore suo primùm probata est in Hispania, deinde iam edita in lucem, in Italia, Galliaq; grauiter oppugnata.* Fefellit te ignorantia, qua præpeditus orationem membris suis non distinxisti: deinde accepisti vocabulum hoc (*probata*) pro (*approbata*) eo loco, vbi significat (*tentata*) vt in Scriptura sacra: *Probauit electos Dominus*, hoc est, tentauit. Probauit & tentauit per tribulatio-

Prima Iesuitarum origo Parisiis.

Primi patres et fundatores Societatis.

Puerilis ignorantia Arnaldi.

nes: In qua significatione crebrò etiam reperitur apud Iurisperitos, quod te latere non debebat. Volebat igitur Ribadeneira dicere, Societate nondum nata, sed mox nascitura, Ignatium eius parentem & institutorem persecutiones passum fuisse in Hispania; hancq; Societatem in suo capite exagitatam. *Nondum nata, probata est in auctore suo in Hispania,* & iam nata, seu in lucem edita in ipsis suis incunabulis oppugnata fuit in Italia & in Gallia. Quæ gradatio ostendit, Ribadeneiram nullo modo loqui de admissione aut approbatione Societatis, sed de primis persecutionibus. Ex quo quàm fidus & probus sis, perspicuum relinquitur. Quod si tria tantùm verba Latina tam disertè scripta intelligere non potuisti, quomodo intelliges Digesta, Codicem, & Ius Canonicum, sensumque Legum obscurarum? Deus bone, quàm idoneus est iste Aduocatus, qui totius Gallię causam agat, & qualis butio & cuculus, qui totam Galliam ob ineptias suas pudore suffundat?

Iesuitæ, inquis, *orant pro Rege Hispaniæ.* Nemo negat. *Sed nō orant vllo modo pro Rege Franciæ.* Hoc dum dicis, non tantùm ostendis, te ignorare ipsorum Leges, qui esset tolerabilis error; sed prodis etiam te egregiū impostorem & sycophantam esse, quod incognitos ea in re accusas, in qua vna quàm accuratissimi videri debent: Leges & Constitutiones Iesuitarum pulcherrimę sunt & exactissimę, quod attinet ad preces, pro omni hominum genere, & nominatim pro principibus & benefactoribus. Iubent enim, vt preces fundantur pro omnibus, amicis & inimicis, fidelibus & infidelibus; sed præcipuè pro triplici hominum statu: primò pro Principibus; & qui in alto positi, vt qui precibus magis indigeant, & penes quos sit potestas promouendi multùm, aut etiam impediendi cultum & honorem diuinum, & bonum animarum, vt diuina ope adiuti sanctè & fructuosè suo munere

Iesuitæ orant pro omnibus. Orandū est pro amicis & inimicis. Num. 16. Matth. 5. Lucæ 6. Act. 7.

nere fungantur. Secundò pro benefactoribus & amicis, inter quos fundatores primum obtinent locum. Tertiò pro iis, cum quibus versantur variis in locis, quique variis officiis iuuantur, & quorum peculiaris cura habetur. Sic Iesuitę, qui sunt in Gallia, precantur pro Gallis, Concionator pro suis auditoribus, Confessarius pro suis pœnitentibus, Præceptor pro suis Scholasticis; qui ægrotos captiuosq; inuisit & solatur, pro pauperibus, oppressis & afflictis; & ita deinceps pro aliis huius vel illius sortis & conditionis. Neque tamen negligunt preces Deo offerre solitas generatim pro omnibus Ecclesiæ membris: orant etiam pro variis non rogati, nec in vno tantùm Collegio, sed in tota Societate votis & sacrificiis cæleste Numen fundatoribus & bene de se meritis propitiant, nominatim illis, qui hoc beneficium specialim ab ipsis poscunt. Neque illis desunt, quos nimio vel iniquo rerum aduersarũ pondere pressos conspicantur, idq; sponte sua, nullius q; interuentu. Hinc perpetuò preces pro incolumitate Regum & regni Gallici fuderunt, maximè ab eo tempore, quo in Gallia domicilia posuerunt.

Ex præscripto & iussu prædictarum Constitutionum, quę ex lege diuina & naturali hauste & delibatę sunt, preces fundunt primò omnium pro S. D. N. Papa, pro Prælatis & Pastoribus Ecclesiasticis, & postea pro omnibus Principibus & proceribus politicis, maximè pro iis, in quorum ditionibus sedes habent. Orant pro Imperatore, Pro Regibus Francię, Hispanię, Poloniæ, Iaponiæ, & Chinę: orant pro Rebuspublicis Christianitatis, pro Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Baronibus, Communitatibus, vno verbo, pro omnibus. Neque est, quod timeas, ne tot votis sufficiant: sunt enim *decem millia*, vt ais; idq; magno tuo mœrore.

Scriptura iubet orare pro principibus. Baruch. 1. 1. Tim. 2. 1. Petr. 2. Tertul. Apol. cap. 31. & ad Scapulam c. 2.

Quòd si ita res se habet, vt reuera habet; quid miraris, si Ribadeneira Iesuita, Regis Hispanię subditus, suũ Regem

laudet, potentiam & virtutem extollat, omnesq; hortetur, vt pro talis Monarchę salute Deum & cælites deprecentur? Tantundem, & plus facit Edmondus Augerius Iesuita Gallus & cęteri Galli pro suo Rege: tantundem Poloni pro suo: Bohemi, Germani, & alii qui in Imperio, pro Imperatore, & suis Principibus. Quilibet enim pro amoris affectu & naturali aut ciuili officio vota facit, & sacrificia offert, preces & pœnitentias suscipit in genere pro omnibus; in specie autē pro suo Principe & benefactore. Cæterùm, vt preces, quas Iesuitę Galli ad diuinum numen Gallis placandum iamdudum fuderunt, & verò adhuc fundunt, præteream, si decimam duntaxat partem illorum ictuum & verberationum (quas *disciplinas* vocant) quibus à decem annis pro felici Regum nostrorum statu, voluntaria castigatione sese affecerunt, dorso tuo excepisses, corium tuum profectò iam in minutissimas partes discerptum, nè ad membranam quidē vel tympanum efficiendum amplius valeret, & lingua tua fortasis vel melius loqui, vel prudentiùs tacere didicisset.

Arnaldus semper malus Logicus.

Noluerunt, inquis, *Burdegalæ pro Rege mortuo orare.* Sæpè monui, te malum Logicum esse, sed iisdem semper ineptiis teneris, nec te emendas. Si semel recusarunt orare, an propterea concludendum illos nunquam orare? Qualis es Logicus, vniuersalem conclusionem ex facto particulari elicíens? Si aliquis semel bibere recusat, sequitúrne, illum nunquam bibere? Addo, ipsos orasse pro Rege, eo modo, quo poterant. Nam in Missę sacrificio orare, aut alio modo contra Leges Ecclesiasticas, erat Deū offendere, & preces inualidas reddere.

CAPVT XXXI.

Refutatur prima caussa Arnaldi, cur Iesuitæ adeò faueant Regi Hispaniæ.

Verum-

ERumenimuerò, qua vel tenuissima verisimilitudinis specie asseris, *omnes cogitationes, conatus, preces, actiones, colloquia, confessiones, omnemq; industriam Iesuitarum eò referri, vt Regem Hispaniæ totius Christianitatis Monarcham efficiant, & non tantùm Galliam, verùm & totam Europam illi subiiciant.* Ista tua sunt commenta, quæ pluribus refutare piget & pudet. Nam præterquàm quòd à veritate plurimùm abhorrent, ridicula etiam iure optimo censentur: quia tamen in hisce nugis & næniis tuæ caussę præsidium & firmamentum ponis; ideò istis immorari vel inuitus cogor. Quæro igitur ex te, quanam de caussa Iesuitę adeò ardentibus studiis & votis rem Regis & Regni Hispani adauctam & amplificatam cupiant? Si caussam noueras prodere, nosque doctiores efficere debebas: Si ignorabas, haud decebat, ita temerè terem magni momenti comminisci: Si dicas, Iesuitas id fine caussa agere; imitaberis Aduocatos, qui sine caussa loquuntur & caussas agunt. Neq; hoc constanter affirmare potes: tuo enim iudicio, Iesuitę callidi sunt & versipelles. At insignis cuiusdam stupiditatis & insipientię nota esset, Regum alicui sine caussa tam arcto obsequio sese addicere & deuouere, nec tu vllam vel verã, vel verisimilem caussam adducis: cõmentitias verò & vanas, vt te vbiq; tui similem declares, duas adfers: Altera est *honor*: altera *vtilitas*, quæ inde ad Iesuitas redit, tanquam obsequii præstiti, & laboris exantlati merces. *Mendacia Arnaldi.*

Cæterum, honoris specie Iesuitas Regi Hispano tam fidelem operam nauare, nemini fit verisimile: nullas enim dignitates adepti sunt auxilio Regis Hispaniæ: Tu *Cardinalem Toletum* obiicis: at ego à Pontifice *motu proprio* in Cardinalium Collegium cooptatum dico Toletum, qui illi ante Pontificatum familiariter cognitus, & vehementer ob summam eruditionem erat probatus. Deinde licèt gratia & fa- *Cardinalis Toletus.*

uore

uore Regis Hispani Toletus creatus fuisset Cardinalis; num tamen hæc compensatio, quę vni obuenit, sufficiens & satis idonea esset remunerandæ industriæ & operæ decem millium Iesuitarum, *qui*, vt ais, *dies noctesq; toto terrarum orbe enitantur, vt Regem Hispaniæ totius mundi Monarcham constituant?* Nimis exiguus hic bolus est, vt tantam multitudinem exsatiet & expleat, quo vnus duntaxat potitur, & ex quo ad alios nihil præter inanem vel intuitum, vel rumorem venit. Honor igitur præteritus non potuit Iesuitas ad Hispanię gloriam extollendam tam vehementer incitare. At quòd tantum studij & laboris sustineant, propter honores futuros, æquè est improbabile. Nam præteritis reddi debebant, si sapiunt, cautiores. Si enim tot annis, tot molestiis pro Hispania subitis & superatis, ad nullum dignitatis gradum euecti sunt; quid, quæso, in posterum sperent? Neque spe vllum sibi honorem destinant; non quòd hactenus nullum adepti sunt, sed quia nullum ambiunt, cùm omnibus mundi honoribus sponte valedixerint; id quod ex ipsorum instituto, argumento certo, & fallere nescio, rectè deducitur; quod eiusmodi legibus à primo fundatore temperatum, & formatum est, vt nulla sit in Ecclesia Religio, cui ad dignitates Ecclesiasticas euadendi plures obices sint obiecti. Nam reliquis omnibus licet dignitates Ecclesiasticas sine suo præiudicio capessere: at Iesuitę, dum professionem faciunt, speciale votum promittunt, *se nunquam quæsituros aut prætensuros aliquam dignitatem aut Prælationem, directè vel indirectè, in dicta Societate; nec extra; seque non consensuros alicui electioni, quæ de ipsis fieret ad tales gradus; nisi cogantur præcepto illius, qui potest absolutè præcipere sub pœna peccati, qui est S. D. N* vt nuper accidit Cardinali Toleto. Quocirca & ad ambiendos domesticos, & ad externos honorum gradus omnes sibi vias & aditus intercluserunt.

Estne

Estné igitur vllo modo credibile, Religiosos, qui tam celebri & solenni cæremonia honoribus nuntium remiserunt, adeò sui propositi immemors viuere, vt certissima cum pernicie eos studiosè aucupentur; cùm inter ipsos reperire sit non paucos, partim qui iam ad magnas dignitates euecti, indies maiores expectare poterant, partim qui aliquando virtute & eruditione longè super cæteros elati fuissent: his tamen omnibus contemptis, Societatem amplexi sunt. Si Claudius Aquauiua, Præpositus generalis, adhuc superstes, vir præclara virtute, literatus, & domi nobilis, dignitates ambiebat; cur Curiam Romanam deseruit, in qua purpureum galerum æquè inuenisset, ac frater & nepotes sui? Quid opus erat, vt in Societatis ergastulum sese compingeret, honoresq; manibus quasi ligatis, mendicatum procederet? Si Robertus Bellarminus Ministrorum tuorum terror & fulmen, Summorum Pontificum hostium tuorum nepos, vestem Cardinalitiam quæsiuisset; quænam quæso, causa eũ adegisset, vt in hac Societate se Regis Hispanię mancipium faceret? quandoquidem cùm Pontificibus charus & gratus esset, quod voluisset, etiam sine ambitu precumue contentione obtinuisset. Quòd si Iesuitę tam amantes sunt honorum, vt eos cælestibus gaudiis præponant; an non facilius Iesuitæ Galli voti compotes fieri potuerunt in Gallia, demerendo sibi studiis & meritis Regem Galliæ, qui eos & dandi, & vt conferentur, præcipiendi potestatem habet; quàm tanto cum labore & periculo gratiam & beneuolentiam ad honores obtinendos externi & à nostris oris tam remoti Principis ambire? Nònne etiam Iesuitæ, qui in alijs Europę regionibus degunt, longè faciliori negotio ad honores niterentur, tandemq; peruenirent, si Principibus, in quorum ditionibus viuunt, tanto animi ardore & feruore sese deuouerent, quanto Regi Hispanię? Quî fit ergo, vt

Cur nullus Iesuita sit prælatus.

dignitatibus careant? vt in tota Europa à condita Societate nullus Iesuita videatur Canonicus, Præpositus, Abbas, Episcopus, Archiepiscopus, excepto vno, qui inuitus Cardinalis factus est, & cum protestatione, magnoq; Societatis dolore, licèt quod ad ipsum quidem attinet, tali honore dignus fuerit? Vnde, inquam, fit, vt sine istis honoribus viuant? Quia iuxta suas Leges eos fugiunt, veluti suæ professionis obstacula. Si fugiunt: non ergo Regi Hispaniæ seruiunt, vt eos consequantur. Illud enim esset quærere, quod adipisci nollemus, & flagrorum caussa famulari, spe certè auersandi potius, quàm exoptandi stipendii. Concludo igitur, honorem non esse caussam, vt Iesuitę tanto affectu, vt dicis, negotia Castilię procurent, quod tibi quoque mussante voce eloqui, & leui quasi brachio attingere satis fuit.

CAPVT XXXII.

Refutatur secunda caussa Arnaldi.

Calumniæ de Iesuitarum diuitiis.

ALtera caussa, quæ Iesuitas, vt tu ais, ad Regis Hispani Imperium amplificandum impulit, consistit in opibus & diuitiis, quas ex Hispania missas, vel iam possident, vel sese possessuros sperant. Hanc caussam luce palam in aciem producis, & quidem pluribus locis, non sine magna vehementia. Nam in hoc campo, tam mirificè tua exulat oratio, milleque hyperbatis & transitionibus, infinitisq; calcibus in Iesuitas insilit & irruit. Hic tot auri myriadas insectaris: hic nauem Iesuiticam ex India secundo vento nobis aduehis: hic ostendis, Iesuitas non modò opulentos, sed & opum cupidos, & quidem ardentissimè: hìc Iesuitas *seductores*, testamentorum *suppositores*, *familiarium prædones* appellas: at illud incommodi interuenit, quòd omnia, quibus hæc probare & firmare aggrederis, nihil

hil aliud sunt, quàm figmenta malè sani tui cerebri; tam profectò insulsa & stolida, vt chimæras poëticas & ludicra pictorum in porticib. emblemata longè superent. *Rex Hispaniæ*, inquis, *Iesuitis benè & benignè fecit*: Non nego: sed domi suæ, hoc est, in suis regnis; quin & in his nulla re magis munificus est in Societatem, quàm in alias Religiosas familias, imò in has, quàm in illam longè sese liberaliorem ostendit.

Deinde faciamus verum esse, quod fingis, de ista opulentia: num ea fraudi esse debet Iesuitis Gallis vel vniuersæ Societati? Nam si Iesuitæ Hispani multis beneficiis cumulati sint à suo Rege; cur Iesuitæ Galli damnum inde referent? Cur ipsi & alii omnes ob hoc Hispani fierent? Et si Iesuitæ Hispani amant & reuerentur Regem Philippum, vt benefactorem & Regem; cur reprehenduntur, cùm affectus & reuerentia illa, Dei & Iustitiæ Legibus sint conuenientissima? & cur cæteris affingemus, quòd solùm Regem Hispaniæ colant, & veris precijs æstiment? Ex tuis igitur figmentis, licèt figmenta non essent, minimè sequitur, Iesuitas Gallos fieri Hispanos, multò minùs totam Societatem, illosq; qui à Rege illo nihil beneficii acceperunt.

Notum est, qui sint fundatores Collegiorum Gallicanorum, & qui Iesuitas in Gallia alant: Notum, inquam, est, nõ esse Regem Philippum, & hoc maximè constat de Collegio Diuionensi in Burgundia, Billomensi in Aluernia, Auxitano in Vasconia Hispaniæ vicino, quæ ex eleemosynis in quintum iam annum victitant, vt ex mutuo multa alia Collegia. Notum est, non esse Regem Hispaniæ, qui eos alat, aut si melius noueras, quàm ipsi Iesuitæ, debebas probatis testimonijs id probare: quandoquidem tuæ caussæ quàm maximè vsui erat. Idem dico de donis & muneribus, quæ fingis donata Iesuitis ab Hispano. Nam proximis etiam belli tumultibus, cùm grauissima egestate in Gallia premerentur,

Diuitiæ Iesuitarũ in Gallia.

tur, alias eleemosynas nõ acceperunt, quàm ab ipsis Gallis.

CAPVT XXXIII.

Immania mendacia Arnaldi de diuitiis Iesuitarum.

VErum omittamus ista munuscula: veniamus ad illos diuitiarum cumulos, ad istam opum vim, & infinitam magnitudinem, ad istas auri myriadas, quæ in singulos annos ad Iesuitas deferuntur: Rogo te, Arnalde, pande nobis disertis & apertis verbis titulos, originem & fundum tanti Prouentus annui: res ipsa meretur, vt omnium oculis exponatur. Si ageretur de terminis aut limitibus alicuius prati aut horti, res inuestigatu facilis esset: sed in indagando tali & tam immani reditu, res peritiore interprete & ductore eget. Rogo te, omnem hîc expende, & nobis exhibe industriam tuam & scientiam: rem transactam perfectamq; dabis labore non grãdi, præsertim tanta animi æquitate, quantam in te inesse video. Quæso te, vnde duos illos milliones auri prouentuum Iesuiticorum depromis? Vnde aduehis? Quis ille, qui tam liberalem manum expandit? Estné Rex Hispanię? Proba, & firmis quidem probationibus: alioquin fidem non facies: quia iamdudum fidem omnem amisisti, resq; creditu ardua est: quamuis enim Regum *manus longæ* sint, vt quidam poëta ait; ex multis tamen millibus non reperies vel vnum, qui tam *largas* habeat quàm *longas*. Adde, quod communi hominum iudicio verisimile est, Iesuitas paupertatis voto obligatos, si à Rege Hispaniæ tantam auri copiam, compẽsandis suis laboribus petiissent, reportaturos fuisse responsum illud, quod Ptolomœus dedit Thrasibulo Philosopho, Talentum, hoc est, sexcentos coronatos à se petenti: *Mu-*

nius

nus hoc nimis magnum est pro Philosopho Cynico. Respondisset, inquam, Rex, sine omni dubitatione, par non esse, homines paupertatem professos tantam auri vim à se postulare: at verò si Rex Philippus liberalitatis suæ fontes tam munificè Iesuitis aperuit, dic, quæso, ex quonam auctore hoc didiceris? Et si destitueris testimonio viuo & vocali, proba hoc ex ipso facto. Nam eleemosynę adeò magnæ, consuetumq; modum supergressę, in obscuro latêre non possunt, sed in publicum sine mora veniunt: quia Reges res à se præclarè gestas vulgari cupiunt, nihilq; tam publicari optant, quàm liberalitatem, virtutem verè regiam, omniumq; conciliatricem. Quem olim fugiebant Imperatorum Romanorũ munera, ludi, spectacula? quem pyramides, colossi, & alia magnificentię Regum Ægyptiorum argumenta? Quis ignorat, quę sit Principum hac in parte consuetudo? Cur igitur nõ ostendisti, intento quasi digito, insignem aliquam & præcæteris notabilem fundationem? Cur non splendidum aliquod Collegium? Cur non aliquod Escuriale, collegiumq; longè opulentissimum, cui probationum tuarum argumenta inædificares, munitionesq; Iesuitarum irreparabili casu sterneres? Ita agere, vt tu ais, est, *ædificare casas plostello adiungere mures.* Respondebis fortassis, in naue Iesuitica grandes illos reditus reperiri. Hæc videlicet illa nauis est, quam in extasi raptuque mentis vidisti in portu Calecutiensi, & quando onerabatur, tu sessitabas in carchesio, Hispaniam & Galliam & palatium Parisiense inde contemplans, manuq; altera Bartholum tenens. Hæc illa nauis est, quæ adfert illas auri non chiliadas, sed myriadas, vt olim Carina Argonautarum vellus aureum.

Liberalitas viri tus Regia.

Sed amabo te, diuidamus istos reditus, non priuaberis parte tua; idq; meritò; quandoquidem nauticam factitans nauem ipsam incolumem, saluisque mercibus ad Sequanæ

littora appulisti. *Aïs*, ducentas *esse & viginti octo colonias*, hoc est, ducentas & viginti octo domos Iesuitarum: duo milliones in portiones æquales distributi conficiunt nouem millia, pro vnoquoque Collegio. Ponamus octo millia; tu tibi reliquum habe. Omnia igitur Collegia Galliæ habebunt octo millia aureorum: Igitur Diuionense, Billomense, Mauriacense, & alia Collegia Galliæ, quæ ad mendicitatem redacta esse omnes norunt, habebunt octo millia aureorum. Si tam audax es, vt id asseras, Vrbes, quæ verè norunt reditus Collegiorum Iesuiticorum, clara voce clamabunt, te totum cerebrum funditùs amisisse, adeò delirare videberis, in hac naue, duorumque istorum millionum computo: At qui te iudicio sano præditum credent, illi te prodigiosum sycophantam & criminatorem pronunciabunt; simul atque aspexerint Iesuitarum domicilia, viuendi & agendi modũ, lectos & vestes; cùm fieri non possit, vt conueniant, & in vna sede morentur, tot frugalitatis & religiosæ paupertatis testimonia, & tanta prouentuum immensitas. Iesuitæ, in Gallia præsertim, passim ruinosas & malè materiatas ædes incolunt: victus illis frugalis, & pauperibus verè accomodatus: lectum ipsis præbet culcitra tribus asseribus imposita, cui vnicum tegumentum sine vmbella aut cortina: vestes gerunt ex panno vili & simplici absque serico ac holoserico, detritas sæpè longo vsu non sine assumentis & centonibus: si in genere duo milliones, & cuiuis Collegio octo millia aureorum quotannis suppeditarentur; credibile non est, tam insipientes fore, vt vsu & fructu tantæ pecuniæ sese perpetuò fraudarent,

Quò fortuna mihi, si non conceditur vti?

Quomodo igitur adeò opulenti sunt, & simul adeò egeni? Ostende mihi nonnullos tot opum effectus. Cùm te constrictum vides, occurris alio in loco huic obiectioni, &

tacitè

tacitè respondes, *Iesuitas mittere suas pecunias in Hispaniam & in Italiam, seruantes modicam portionem in Gallia cum bonis immobilibus, & iis quæ ea lege legata sunt, vt abalienari nequeant.* Ita, vt iuxta glossam tuam, ille ingens cumulus pecuniarum & thesaurus duorum millionum auri indies crescat in Hispania & Italia: interea dum Iesuitæ egeni in Gallia egestate cum suis immobilibus propemodum opprimuntur. Sed vt tuam responsionem refellam, sicuti suprà architectabaris, *Comitatus, Marchionatus, & Baronias* Iesuitarum in remotis regionibus, vt mendaciis tuis reperires aliquod latibulum, quo se abderent, & ab hominum conspectu, ne proderentur, proriperent: eodem modo hîc comminiscéris thesauros in vndis & fluctibus Oceani Iaponici; timens, ne si in Gallia hos thesauros collocares, paupertas Iesuitarum, quam omnes probi vident, te insignis calumniæ & mendacij redargueret. Nec tibi in mentem venit hoc eodem loco id, quod alibi ais, *Iesuitas contribuisse ad bellum Gallicum:* vnde sequitur, oportere illos ex Hispania pecunias, non ex Gallia mittere in Hispaniam, cùm Galliæ non suppetat, vnde tantos sumptus faciat: Sic perdis teipsum & destruis, nescíens quid dicas, nec aduertens, quid moneat prouerbium: *oportere mendacem esse memorem*, ne verbis contrariis simul iunctis parùm constanter loquatur. *Arnaldus sæpè sibi contrarius.*

CAPVT XXXIV.

De reditibus Collegiorum in Gallia.

SED si fortè auctores & historici tui persuaserunt tibi, esse nauem quandam Iesuiticam; quòd fortasis aliqua visa sit, cuius puppis pictura nominis Iesu insignita fuerit (vt illa in Actis Apostolorũ, Act. 28. quę Castoris & Pollucis imagines præportabat) & si additis hoc

tis hoc hominum genere dignis glossematis eam ex Lusitania Parisios transmiserunt, vt isthic exponerentur merces, non sine existimationis tuæ iactura, næ egregiè te illi ludificarunt, simulq; Iesuitis ius in plurimas alias naues contulerunt. Nam si aliæ quædam reperiantur, quibus nomen Iesu sit prostemmate & signo; oportet, vt eodem iure ad Iesuitas pertineant. Ita non modico incremento duo *milliones* auri augescent: necesse etiam erit, vt multa ædificia in Galliis sint & vocentur Iesuitica, & vt Iesuitis cedant, quippe quæ nomen Iesu præ foribus saxo insculptum præ se ferant, veteri quadam erga Sacrosanctum istud nomen pietate & religione: ita imprudens Iesuitas locupletas.

Porrò quemadmodum mendacium effutiuisti, quod ad Indos vsq; penetrauit, cùm assereres, Iesuitis duos milliones auri inde quotannis adferri: ita etiam altero, eoq; valde crasso mendacio aërem Gallicanum inficis, cùm dicis, *Iesuitas in Gallia capere in annuum vectigal ducenta millia librarum.* Mendacium hoc esse ostendit tua probatio. Nam ad hoc probandum nihil aliud facis, quàm id *dicere*; & tuum *dicere* nihil aliud est, quàm mentiri, vt hactenus ex ommibus tuis verbis ostendi. Hinc fit, vt alio argumento non sit opus, quo ostendatur, te hac in re non dicere verum, nisi quod hactenus nondum verum dixeris. Quòd si tandem veritatis amor te tetigit, argumentis id probare, non simplici assueratione affirmare debebas; cùm cuiùis promptum sit & obuium, nancisci catalogum omnium redituum, quos Collegia Gallicana percipiunt. Est igitur, quod tu asseris, mendacium: esse autem splendidum, facilè cognoscer, quisquis accuratiùs de reditibus Collegiorum Gallicanorum inquirere volet. Quòd si hunc laborem refugiant, meoq; testimonio stare velint, ausim vel iuratus dicere (neq; tamen vllius amicitia mihi tanti est, vt propter illam conscientiæ integri-

tatem

tatem violare velim) ausim inquam, vel iuratus dicere (vt te serio breuiterq; confutem) omnes prouentus octodecim plus minus Collegiorum Iesuiticorum in Gallia, viginti millium coronatorum summã non efficere: ex quibus quingenti propemodum socij alebantur. Vide iam, quàm insigniter sis mentitus.

Præterea dico, permultos esse in Gallia Prælatos, qui duplò plures reditus habeant, quàm omnes Iesuitæ simul: nec equidem inuideo, bene vertat, si tantos prouentus bene expendunt. Addo, in illis vrbibus, quarum Iesuitæ sunt indigenæ, reperiri non paucos Ecclesiasticos, eosq; non cum potestate, sed priuatos, qui triplo aut quadruplo maiores capiant reditus, quàm ipsa Iesuitarum Collegia, quæ sunt in eisdem vrbibus. Quin & affirmo, nullam esse adeò exiguam Ecclesiam Collegiatam alicuius nominis, quæ non pluribus prouentibus ditata sit, quàm quodùis Collegium Iesuitarum in Francia. Quòd si reditus suos sigillatim in singula capita distribuerent, vtique vni sociorum & operariorum 80. libræ Francicæ non obuenirent, etiam in opulentioribus Collegiis; in aliis autem ne 40 quidem, imò nec 25. Hinc nisi viuerent in communi, nisi adiuuarentur frugalitate, œconomia, eleemosynis, & beneficiis modò ab hoc, modò ab illo acceptis; fieri non posset, vt vitam tolerarent, vel media ex parte sumptus illos & expensas sustinerẽt; quę necessariò iis in ædibus suscipiendæ sunt, quæ tã multos incolas totfunctionibus publicis & priuatis occupatos cõtinent.

Cui rei probandę & firmandę testes appello omnes probitatis amantes viros, qui cum Iesuitis versantur, eosq; propius cognoscunt, qui necessitate pressos subleuant, quibus omnibus exploratum est, me vera loqui; idq; libenter, cùm opus fuerit, testabuntur: & qui patulo ore inhiabant prouentibus Collegiorum Parisiensis, Bituricensis, & aliorum,

quibus Iesuitæ electi sunt, id nobis explicare poterunt, vtrũ tantos & tam opimos bolos inuenerint, quantos spe & expectatione iamdudum deuorauerant: idemq; reipsa comperient illi, qui sibi ex aliis Collegiis aureos montes pollicentur, Iesuitis inde exterminatis. Et tunc clarè videbunt cæci, si tamen oculos aperire velint, quàm solido nixus fundamento dixeris, *Iesuitas pro bello pecunias contribuisse.* Ministrorum hoc est, Arnalde; horum machinis & impulsu imponuntur Ecclesiis vectigalia, seditiones concitantur & fouentur, Duces corumpuntur, qui in suum Regem Christianissimum insurgunt, auro & argento, non tantùm ferro & linguæ acumine. Dominus de Monluc, Tribunus militum in Gallia, cuius virtutem frustrà corrumpere conati, sed non frustrà eius vires & lacertos experti sunt, huius rei clarum & sonorum testimonium posteritati reliquit. Iesuitæ tale quid moliri reipsa non possunt, multò minùs voluntate: in suum herum ac Dominum arma ciere, hæreticorum rebellium mos est, non Religiosorum obedientię amantium.

Hæretici seditiosi, non Religiosi.

Hactenus igitur ostendi tibi, ista cõgiaria Hispanica, istas naues & opes Iesuiticas, esse fictiones Rupellæ primùm, & postea iterata editione in tuo cerebro impressas, Iesuitasq; non magis esse Hispanos propter opes, quàm propter honores. Concludo igitur, tuam ratiocinationem & fundamẽto, omniq́ue bonę consecutionis ordine carere, teq; tam imperitum esse Logicum, quàm Aduocatum. Nam tuas probationes arenę inædificas, & dum argumenta contexis, neque vnde ordiaris, neque quò progrediaris, nosti; cùm quod proponis, nunquam probes. Sed iam tempus est, vt ad Iesuitarum aquaritiam accedamus.

CAPVT XXXV.

Calumniæ Arnaldi de variis testamentis.

Iesuitæ

IEsuitæ, inquis, *auari sunt.* Accusatio hæc efficacior est, quàm illa de diuitiis; cùm ad assequendum id, quod cupis; tum ad creandum odium Iesuitis. Opibus enim pollere, nemini datur vitio; sed auaritiæ deditum esse, non modicum crimen est, apud illos præsertim, qui Deo paupertatis votum nuncupârunt. Quod cùm te non fugeret, insolentissimè & iniuriosissimè hîc exultas, & absque fronte & mente affirmas, Iesuitas quotidiè testamenta captare & supponere, deprædatosque esse, non paucas Galliæ familias; *postquam*, inquis, *Araldus fato concesserit, non omittent, quin poscant ius primogenituræ: neque enim vnquam paupertatis vrgent votum, nisi cùm iam omnis spes successionis planè euanuit; ac tunc quoque cùm profitentur, ac Sodalitatis subeunt sacramentum, bona sua prius Collegio resignant, prorsus vt nihil exeat, intrent omnia, non minùs quæ fortè obueniunt ab intestato, quàm quæ testamentis: quæ suprema iudicia solicitè nimis captant, iamq; animam in ore habentibus identidem ingerunt, aut horrorem inferni, aut paradisi amœna, prout nihil aut multum impartiuntur Societati illi Iesu, cuius rei illustre exemplum in Maldonato, cum præside Montibrunensi S. Andreæ.* Hactenus tua verba, qui & alibi in tua actione eosdem Latinis vocabulis (vt intemperiem oris tui magis demonstres) appellas *immani auaritia nocentissimos, quibus fides, decus & pietas, postremò honesta inhonestaq; quæstui sunt.* Quę verba adeo atrocia & immania sunt, vt contra omnium profligatissimos totius orbis vsurarios proferri vix possint. Sed conuitia omittamus, mendacia examinemus, ex quibus vnum, *ius primogenituræ*, vt postea dicam: alterum, quòd nunquam paupertatis votum faciant, nisi omni spe successionis amissa: Nam illud faciunt, nouitiatu finito, hoc est, biennio probationis & tirocinij exacto. Tertium, quòd totam suam hæreditatem Collegio transcribant, quando professionem faciunt; ne vnum quidem ex plurimis, qui in Gallia profes- *Mendacia Arnaldi.*

sionem fecerunt, nominare poteris. Quartum, quòd tota hæreditas ipsis ab intestato obueniat: nam nullum ius habent vel acquirunt ratione illorũ, qui in Collegiis moriunt.

Sed potissimùm mendacium est de præside S. Andreæ mortuo, qui anno Lxjv. Iesuitis legauit duodecim millia librarum: iste igitur vir clarissimus, iudicio tuo, circumuentus est, & posteri eius fortunis spoliati per Maldonatũ Iesuitam, qui paulò ante obitum confessionem eius audie-

De testamento D. Præsidis S. Andreæ.

rat. Sed certum exploratumq; est, Dominum illum multò antè testamento Iesuitis reliquisse & destinasse legatũ hoc, quàm Maldonati notitiam vllam haberet; & Maldonatum hac in re nihil aliud egisse, quàm quòd suaserit, vt illam pecuniæ summam relinqueret liberam, neque certo alicui vsui applicaret, vt ita arbitrio & iudicio Superiorum in quasuis Societatis necessitates expendi posset. Quod factum calumniatoribus calumniandi ansam præbuit: interim tu vno pestiferæ tuæ linguæ iaculo insectaris & laceras, non modò Iesuitarum viuentium nomen & existimationem; sed etiam Maldonati & præsidis prædicti iam vita defuncti. An nõ enim vtrique debitam famam surripis, dum Maldonatum in ipso Sacramẽti Pœnitentiæ mysterio decepisse; alterum verò deceptum, & in fraudem impulsum mentiris, hominem tantę auctoritatis & virtutis, tantæ ætatis & prudentiæ? An non & illa insignis detractio, dum, quod piè & religiosè, & in conspectu Dei & hominum laudabiliter egit, immeritò & fallaciis excœcatum fecisse prædicas? Præterea iniuriam facis Senatui, qui Senatusconsulto declarauit Ioannem Maldonatum innocentem, quem tu *seductorem* & *prædonem* vocas. Ostendis etiam te ex schola Machiauelli prodiisse, dum rides & calumniaris, quod apud Christianos moribundos fiat mentio inferni & paradisi. Qua de re vis supremo illo vitæ articulo sermones instituí. Num de pectine Solis, De Ætnæ incendiis, & de epyciclis Saturni?

Eadem mentiendi & criminandi libidine dicis Ieſuitas *expilaſſe domum Domini Bolanij*, Conſiliarii in Senatu Burdegalenſi: *Palàm quoque eſt, quo modo inuolarint domum lares ſq; Bolaniorum, quæ familia vna eſt de opulentiſſimis Burdegalæ.* Infiniti Burdegalenſes fide digniſſimi, & adhuc ſuperſtites rogati teſtabuntur, Dominum Bolanium id quod dedit, dare decreuiſſe extruendo & fundando Collegio, priuſquam Ieſuitæ Burdegalam peruenirent; neque ea vel ætate, vel mentis ſimplicitate fuiſſe, quod ſuprà etiam de præſide D. Andreæ diximus, vt ei oculos perſtringere, & fucũ facere proclíue fuerit, & hanc fundationem multis decretis confirmauit ſuprema Curia, contra Dominum de Cande, fundatoris fratrem, qui pertinaciter eam in Iudicio oppugnabat. Quia verò iſta familia inter ditiſsimas Burdegalenſis Ciuitatis numerabatur, vt ais; iure ſpoliata & expilata dici nequit, ob bis mille libras, annui reditus nomine Collegio donatas: Imò magno honore affecta eſt, non tam ob liberalitatem in Ieſuitas, quàm ob pietatem in patriam, & ſtudium in Religionem Catholicam, cuius cauſſa Ieſuitæ accerſiti ſunt. Si fundatio hæc ceſsiſſet in emolumentum Miniſtrorũ & Prædicantium; nihil dubito, quin clara & ſonora voce Dominum illum vſque ad ſidera euexiſſes. De teſtamento D. Bolanii.

Pergis. *Scitur etiam, quale teſtamentum extuderint præſidi Godrano Diuionenſi, quo ſororem germanam vnicam, alioqui hæredem, dimidio coronato contentam eſſe iuſſerit, relictis interim quotannis Ieſuitico Ordini ſeptem librarum millibus.* An non es hoc loco inſignis impoſtor? Soror huius præſidis, cuius maximè hoc factum intererat, nunquam de Ieſuitis conqueſta eſt, in eo, quo ipſos accuſas & oneras. Vrbs Diuionenſis & tota Burgundia nouit, Ieſuitas nec fuiſſe vocatos nec auditos, cùm teſtamentum hoc conderetur. Nec ipſe præſes Ieſuitas nouerat, niſi communi proborum ſermone & narratione. Et lí- De teſtamento D. Præſidis Diuionenſis.

cèt Iesuitas familiariter, & multo longoque vsu nouisset; ea tamen erat prudentia, ætate, iudicij maturitate, probitate, & scientia præditus; vt nulla suspicio extiterit, fallaciis circumuentum esse, aut circumueniri potuisse: quippe præsidem tanti Senatus & Sigillorum custodem. Ipsa etiam testamenti series & tenor imposturam tuam refellit. Vrbem enim Diuionensem instituit hæredem, si Iesuitę illam hæreditatem adire nollent; & si Diuionenses eandem recusarent, substituebat Vrbem aut Canonicorum Collegium Augustodunense. Apposuerat etiam quasdam conditiones Iesuitarum Constitutionibus contrarias, quod propè effecit, vt decernerent hæreditatem aliis relinquere. Nec obscurè indicabat, Iesuitas secum nunquam locutos. Et quamùis hæreditatem posteà adierint; id tamen suasu & hortatu Senatus Diuionensis fecerunt, qui pro sua prudentia id, quod impedimento esse poterat, nonnihil temperauit. Et ex tota illa hæreditate nõ plures, quàm octingenti aurei quotannis redacti sunt, & his postremis bellorum tumultibus ne ducenti quidem; vt proinde necesse fuerit, Collegium partim piorum eleemosynis & liberali stipe, partim ære commodato sustentari.

Calumnia de iure primogenituræ Lagebastonii.

Necdum mentiendi finis. Ais enim, *recenter admodum loco iuris primogenituræ abstulerunt familiæ Domini præsidis de Lagebaston terram Faiollensem, eamq; distraxerunt duodecim scutatorum millibus, quod precium ocyùs in Hispaniam ablegarunt, thesauri sui accessionem scilicet.* Semper es Arnaldus, neq; vnquam à te degeneras, semperq; loqui, mentiri & calumniari eodem loco habes; ita, vt ne os soluere, & in verba formare possis, quin sceleratè veritatem oppugnes, alienæq; famæ & existimationi ruinam & interitum machineris. Iesuita Lagebaston, ditionem Faiollensem, sorori suæ reliquit, neque inde quicquam accepit præter 1500. aureos arbitrio suo in egenorum

norũ turbam, aliosq; pios vsus, dispertiendos. Nescio porrò, quanam ratione Iesuitis *ius primogenituræ* arroges: Nam ipsa quidem Societas, neq; *ius primogenituræ* suorum hominum, neque legitimam sibi vendicat: & si prius diem obeant, quàm quid de facultatibus fortunisq; suis fieri velint, decernant, omne ius integrum illis manet, ad quos ex iuris æquitate & moderatione pertinet: non verò illis, qui tali iure ipsis sui instituti constitutionibus sese abdicarunt.

Quod narras de Renato Airaldo filio Vicarij rerum criminalium in vrbe Andegauensi, eiusdem ordinis est cum aliis tuis mendaciis. Nam adolescens iste 17. annorum, non tantùm 14. vt tu fingis, cùm in Gallia Deo sese consecrandi, rebusq; mortalibus valedicendi propositum reipsa exequi non posset, in Germaniam Anno M. D. Lxxxvj. abiit, ibiq; propter eximiam pietatem & indolem in Societatem adscriptus est, non autem, vt tu falsissimè blateras, propter spem ingentis hæreditatis, quam parenti suo Iesuitæ minimè inuident. *Renatus Airaldus.*

Cæterùm cum in hac de familiis expilatis, deq; adolescẽtibus ingenio & genere præstantibus in Societatem aggregatis narratione versaris, excidit tibi non fortuitò, sed deliberatè quiddam non dissimulandum, sed necessariò publicandum; vt quis, qualisq; sis, omnibus illuceat vel ad ruborem tibi incutiendum, vel ad meliorem mentem iniiciendam. Hoc autem de quo loquor, illud est, quod iuuentutis institutionem apud Iesuitas & Religionis votum compares sacrificiis, quę veteres faciebant Saturno, hoc est dæmoni, immolatis illi propriis liberis.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Calumniæ Arnaldi in eos qui filios suos Iesuitis instituendos tradunt.

ET ne quis putet, me tuę orationi glossas assuere, eo modo quo tu Decretalibus Pontificum; en tua tibi verba repono: *Carthaginenses pueros suos Saturno immolabant, & cogebantur ipsi parentes hilari vultu talibus interesse sacrificiis. Nos ætum viximus (rem stupendam) quo nemo boni Catholici emerebatur nomen, quin liberos suos applicaret Præceptoribus Iesuitis, & quo eorundem disciplinæ alumni, tanquam si gallinæ albæ filii essent, aut potiùs* tanquam si Gygis *donati annulo omnia passim obtinerent, omnia possent, nec in vitam ipsorum doctrinámue inquireretur: vsque adeò, vt patres plerique habita temporis ratione, cogerentur filios suos deferere, à Iesuitis iam aut nescio quo fascinatos philtro, aut sæpiùs etiam vi mera raptos, præcipuè si cubi ipsis ad gustum.* Hac similitudine comparas adolescentes à parentibus vel consanguineis disciplinæ Iesuitarum commissos, vel vt religiosam vitam amplecterentur oblatos, cum adolescentibus ethnicis ad aram Saturni deductis, parētesq; eorum cum parentibus ethnicis. Hunc subesse sermoni tuo sensum, inde liquet: quòd aliâs similitudo à verbis tuis discrepet. Idem confirmo ex authoribus, quorum magisterio ita loqui edoctus es: Hæretici Germanię (præsertim Polycarpus Prædicans) scribunt, *eos, qui suos liberos tradunt Iesuitis erudiendos, similes esse parentibus illis, qui olim suos liberos immolabant idolo Moloch*, immani scelere, quod & Psalmista detestatur; *Immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis.* Lutherus in suo Epithalamio scribit: *omnes, qui in Religione votum castitatis emittunt, sacrificare corpus suum idolo Moloch.* Caluinus in sua Institutione ait, *vota Religionis esse dæmonis retia.* Itaq; negare

In Historia Iesuitica.

Psal. 105.

Lib. 4. c. 13.

gare non potes, tuam similitudinem idem velle & innuere, quod dictis & sententiis suis significant prædicti hæretici, à quibus comparationem illam mutuatus es.

Ex hac igitur similitudine sequitur primò, omnes, qui suos liberos curæ & disciplinę Iesuitarum crediderunt, idololatras esse, quamuis temporis ineuitabili necessitate coactos. Sequitur etiam, Reges Galliæ erexisse aras Saturno, & idololatriam stabiliuisse in præcipuis sui regni ciuitatibus. Regem etiam Henricum, qui nuper regnare desiit, inuitũ licèt atq; repugnantem, instituisse Seminarium in Collegio Iesuitarum Parisiis, vt Saturno litaretur, cultusq; debitus persolueretur. Innumeros item Principes & Proceres Gallię filios suos Saturno in sacrificium & libamen destinâsse: multas chiliadas hominum, qui nunc Gallicanę Reipub. operam suam vtiliter nauant, ab ineunte ætate Saturno initiatas & consecratas esse. Sequitur præterea ex hac tua loquendi forma, Magiam & incantationem exerceri, sacrificiumq; in honorem Saturni institui, quoties vel pater filium, vel filius seipsum in religiosa aliqua familia Deo consecrat: & vt rem in pauca conferam, quando S. Bernardus, S. Augustinus, S. Bruno, S. Dominicus, S. Franciscus de Paula, & innumerabiles alij vita & religione præstantissimi viri, diuino obsequio vel ab aliis mancipati sunt, vel seipsos mancíparunt, tunc sententiâ tuâ incantamentis dementati, & in retia dæmonis prolapsi, hecatombarum instar oblati & trucidati sunt parenti Iouis. Nolo hic pluribus enormitatem & atrocitatem criminis, quo te obstrinxisti, exaggerare: narratio ipsa omnibus, quibus Catholica fides cure, tantum horrorem incutere potest, vt stent comæ, voxq; faucibus hæreat. Illud addiderim, præclarum fore facinus, si carnificum ministerio in cineres vertereris, non quidem in sacrificium, quia nec lupina nec vulpina caro idonea est aræ, sed ad

Quid sequatur ex impietate Arnaldi.

Religiosum fieri est dæmoni sacrificare ex sententia Arnaldi.

expiandam impietatem & blasphemiam, quam euomuisti coram supremo Galliæ Senatu, quamq; typis euulgasti, ingenti diuini honoris, Ecclesiæ, & totius Galliæ damno.

CAPVT XXXVII.

Mendacia Arnaldi super Ingressu Francisci à Canillac in Societatem Iesu.

PRo bellariis & mensis secundis tuarum calumniarum apponis nobis hoc loco Franciscum à Canillac, fratrē Domini Marchionis à Canillac, quem à Iesuitis *expilatum esse passim constare*, dicis, *vt haberent octo millia librarum annui reditus, quibus ipse gaudet, non sine spe futuræ successionis & substitutionis in locum fratris, si frater absq; liberis ex hac vita decederet, vt ita demùm Marchiones fiant Canillaci, extirpata familia, cuius annui prouentus ad quadraginta quinque millia librarum accedunt.* His calumniis & mendaciis refellendis testes aduoco & appello infinitos Aruerniæ indigenas, & ipsam inprimis nobilem *Dominam de Monsan*, sororem Domini de Canillac, Dominam virtute excellentem, & tali stirpe dignissimam; quibus omnibus compertissimum est, Iesuitas, cùm eximius ille adolescens societatem peteret, votis eius nequaquam annuisse; tum, ne fortassis familiam adeò illustrem offenderent; tum quia verebantur, vt Societatis laboribus perferendis satis firmus & validus esset, licèt alioqui pro ætatis teneritudine præclaris ingenij & scientię dotibus polleret. Cùm igitur in Gallia voti compos reddi non posset, bis Romam contendit, assiduis precibus à Generali Iesuitarum Præposito efflagitans, vt in Societatem allegeretur: qui tandem, mortua matre Marchionissa, preces iuuenis audiuit, cùm vigesimum aut vigesimum secundum ætatis annum ageret: Neque quisquam ex ea familia repertus est,

tus est, qui Iesuitis propter hoc factum litem mouerit, negotiumue facessiuerit, ne ipse quidem Marchio, qui ob amorem, quo fratrem complectebatur, non potuisset non vehementer irasci, si fraudis & fallacis pellaciæ aliquid intercessisse existimasset. Verùm non modò factum hoc ægrè & molestè non tulit, sed & Iesuitarum calumniatoribus os obstruxit, epistola ad Iesuitas data, quam hîc describere operæpretium duxi, vt omnes intelligant, os tuum nihil aliud esse, quàm reciprocum quendam mendaciorum Euripum.

Epistola Domini Marchionis à Canillac.

Intellexi liuidos quosdam & in societatẽ vestram malè affectos rumorem sparsisse, me à vobis alieno esse animo, eosdemq́ vobis imposuisse, quasi fratrem meum per vim adegeritis, vt Societati vestræ nomen daret. At ego caussam huius rei nemini adscribo, quàm naturali illius ad omne pietatis genus propensioni, & religiosis morum vitæq́e vestræ exemplis, quibus ei, cùm in Collegio Billomensi degeret, præluxistis. Hoc animi mei testimonium libens volensq́ vobis dedi, vt & innocentiam vestram, & veritatem semper testetur, quam ego quidem, quod ad hoc negotium attinet, nunquam reticuerim, neq́ vllam aliam occasionem prætermittam, qua declarare meam erga vos voluntatem possim. Rogo, vt in vestris precibus me Deo commendetis, quibus Deus vt sua gratia adsit, precor, simulq́ illud vobis persuadeatis velim, meam operam nulla in re, quæ quidem opis meæ, Societati vestræ defuturam. Canillaci apud S. Cyricum 30. August. M. D. xcjv.

Non video, qua alia Iesuitæ præter has literas defensione vel calumniarum tuarum refutatione egeant. Illud duntaxat monuerim, te iure laudibus extulisse splendorem & opulentiam domus de Canillac. Nam hoc meretur, cùm propter alia decora & gentilitia ornamenta, tum quòd Ecclesiæ Summos Pontifices pietate & doctrina excellentes progenuit: sed improbè simul & contumeliosè in eandem inuectus es, quando iudicii & melioris tuæ sententiæ oblitus Iesuitas omnes sine delectu & exceptione appellasti *prædones, homicidas,*

Clemens VI. & Greg. II. ex familia de Beaufort. anno 1342 & 1371. Platina.

homicidas, Assassinos. Nam hac tua calumniandi petulantia, in horum nefariorum hominum cathalogum & numerum retulisti Franciscum de Canillac, intoleranda in familiam illam, quam laudas, iniuria; adeò iam inueterata consuetudine, benedicere nequis, nisi maledicas; aut verum dicere, quin tibi contradicas.

Habes iam refutatum & dissolutum, quicquid ad Iesuitarum auaritiam patefaciendam, & ad hæreditatum inexplebilem sitim ostendendam facere arbitratus es. Miror te, pro tua in Iesuitas beneuolentia, & amore incredibili tam pauca exempla attulisse, cùm verisimile sit, te accuratè, imò curiosè inuestigasse, quicquid hac in parte tibi vsui esse poterat, vt Iesuitas maiore impetu exagitares. Miror etiam te ex duobus millibus Gallorum, qui à triginta annis Societatem amplexi sunt, ne vnum quidem proferre potuisse, quo perspicuè planum faceres, Iesuitas tales esse, quales à te per calumniam depinguntur. Ne adolescentes quidem Parisienses familiares & domesticos tuos satu & stirpe plerosq; nobiles adduxisti, qui te nullo negotio veritatem edocuissent: at Iesuitæ promptè & sine mora mille & octingentos, à quibus ne obolum quidem acceperint, numerabunt: imò multos potiùs numerabunt, quos, vt in literarum studiis progrederentur, & gradibus Scholasticis insignirentur, liberaliter suo ære iuuerunt; multos, quorum hæreditates & pensiones recusarunt; multos deniq;, quorum parentibus pro tenuitate suarum fortunarum benignè subuenerunt. Argumentum magnæ improbitatis est in Aduocato, qui profitetur, & verbis cœptis pollicetur fore se iustitiæ patronum; tam esse procliuem ad accusandum, & ad probandum tam siccum & ieiunum. Si Pericles veri numinis ignarus, suggestum cõscendens à Deo petebat, ne permitteret ex ore suo elabi vel vnum verbulum, quod ad rem non faceret; quantò ma-

Periclis preces cum ad dicendum accederet, Plutarch.

tò magis Christianus deum precari debet, ne sinatur in mẽdacia, calumnias & imposturas præcipitari?

Porrò cùm facinus indignum & intolerãdum reputetur, si Orator ethnicus parùm conuenienter propositæ materiæ dicat, cumq; lex moneat, *ne in licentiam conuitiandi & maledicendi temeritate Aduocati prorumpant*; *atque si quis adeò procax sit, qui non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patiatur*: qualenam & quantũ piaculum, & quanto supplicio mulctandum erit, si Christianus Aduocatus nõ solùm extra propositæ materię terminos euagetur, sed euagetur quoque contra iustitiam, contra veritatem, contra honestatem, contra innocentiam, & contra Deum ipsum, non sine iniuriis, imposturis, & atrocibus calumniis, vt tu hactenus fecisti absque modo & fine? Et quæ hæc procacitas, criminari omnia benefacta non modò viuentium, sed etiam defunctorum? An non hoc est, durum & immitem sese præbere egenis, quorum inopiæ his beneficiis subuenitur? An non iniquum & iniuriosum opulentis, à quibus talia egestatis leuamenta proficiscuntur? An non hoc est, impium & blasphemum esse in Deum, qui laudat, commendat, & faustis verbis eleemosynam prosequitur, ad candẽq; erogandam mortales indesinenter exhortatur? An non egenis simul & locupletibus omnis boni nominis existimatio adimitur, cùm alteri appellantur *seductores, dolosi*, & *fraudulenti*; alteri *seducti per stultitiam*? An non hoc est, dare ansam & occasionem traducendi & criminandi, quidquid in hoc genere pietatis & officii vnquam suscipietur; ita, vt qui pauperibus aliquid legant, testamentoq; relinquunt, vocentur *deliri*; & illi, quibus aliquid legatur, *prædones*; illi, qui legant, *circumuenti & decepti*; qui legata accipiunt, *deceptores & impostores*, vt tu iam de Iesuitis dicere non erubescis?

Aduocatis cõuiciari nõ licet. L. Quisquis C. de Postul.

CAPVT XXXVIII.

Iesuitas non insidiari testamentis.

CÆterum tantò petulantior & sceleratior tua est calumnia, quò leges & regulę ipsorum magis cauent, ne hac in re maledicendi cupidis sermonẽ dent vllum. Quantum enim ad legata attinet, vt non tantùm vitetur crimen, sed etiam occasio & suspicio, prohibetur illis, ne præsentes adsint, quando quis testamentum facit, & ex multis millibus, quibus à triginta annis suprema illa vitæ hora Parisiis adstitere, non reperientur quatuor, qui illis aliquid testamento donauerint. Et si quis alius fuisset præter præsidem S. Andreæ, tu pro tua curiositate haud omisisses, quò minùs talem pro basi & fundamento alicuius calumniæ arriperes.

Quod si ex reliquis Galliæ vrbibus omnes, quibus moribundis suprema officia Christianę Religionis impenderunt, vnum in locum conuocarentur; ausim dicere, ex infinita multitudine non inuentum iri tres, qui societati testamento vel teruntium legauerint. Quin & plura longè & excellentiora non rarò præstiterunt Iesuitæ, vt manus suas ab auaritiæ sordibus intactas, suamq; existimationem integram cõseruarent publicę renunciantes omnibus legatis, quæ quoquo modo liberalitate animam agentium ad ipsos deuolui poterant. Meminisse te velim, si tamen alicuius boni meminisse potes, quid anno M. D. Lxxx. & M D. Lxxxj. Iesuitę Parisienses egerint. Nam cùm pestis tempore iuuandis infectis & affectis, quorum ingens erat numerus, operam suam obtulissent, antequam misericordię illud & plenum difficultatis officium auspicarentur, abdicarunt se coram supremæ Curię Senatoribus omnibus legatis, donationibus & eleemosynis, si qui fortè pietate ducti in Societatem munifici

Quid egerint Iesuitæ Parisiẽses tempore pestis.

nifici esse vellent, sanctè testati, se nihil inde accepturos, etiam coactos, quod reipsa quoque præstiterunt, nec à quoquam negari potest.

Nec illud silendum, quòd præter tres socios, qui pestifera lue contracta, ad meliorem vitam migrârunt, sexq; alios, quibus famiam suprema dies imminere videbatur, ob contagionem pestis, aliosq; morbos, diurnis nocturnisq; laboribus collectos, supra octingentos aureos in tenuioris fortunę homines expenderint; quę summa neq; potest, neq; debet videri tenuis, si quis tenuitatem facultatum Parisiensis Collegij considerare velit. Quo tempore cùm Parisiis inter Conuictores studiosus viuerem, admirabilem ardorem iuuandi proximum rebus tam aduersis & periculosis in omnium animis elucere animaduerti. Nam ex quinquaginta pluriúmue sociorum numero, certabāt inter sese omnes laudabili quodam contentionis genere, quisnam strenuissimus & maximè indefessus in subleuandis ægris esset; neque vel vnus fuit, qui suam operam superiori promptè & alacriter non obtulerit, ne illo quidem excepto, cui pedum vitio vix rectis & non titubantibus vestigiis incedere licebat. *Mortui & ægri ex peste. Expensæ in pestiferos.*

Sub idem tempus, idem charitatis & misericordiæ officium Lugdunensibus exhibebat Edmondus Augerius peste etiam afflictis, cui cùm largissimæ eleemosynę & donatiua offerentur, nunquam tamen vel obolum accepit; sed operam dedit, vt quidquid eiusmodi stipis esset, id totum in egenos, potissimum peste tactos, erogaretur. Multa alia huius generis ex Galliæ nostrę vrbibus, Tolosa, Burdegala, & aliis vbi sedem habuerunt, petita exempla narrare possem: sed si in laudes Iesuitarum longiùs exspatiarer, stomachum tibi mouerem. Ista tibi molesta, vt spero, non erunt, sunt enim cōmunia & omnibus nota; satis tamen apta, cùm ad mendaciorum tuorum vanitatem redarguendam, tum *Lugdunensibus peste afflictis subuenit Edmōd. Augerius.*

ad de-

ad demonstrandum, Iesuitas non tam esse rapaces, & harpagones; quàm tu eos videri cupis.

Sed ad alia beneficentiæ genera accedo, quæ Iesuitæ quando offeruntur, non respuunt quidem, neminem tamen, vt quidquam det, inducunt. Quod si quis fortasis aliquando petendo importunior fuit, venia danda est errori, in egenis, & quos paupertas valde premit, non valde culpabili. Si Deus à nobis importunè vult orari, votisq; supplicibus quodammodò fatigari, oportet, vt locupletiores, quibus animus benefaciēdi, & tam præclarum exemplum imitandi, patienter ferant id, quod sibi, quando cum Deo agunt, vitio dari nolunt. Hæc quidem viris probis & prudentibus satis esse poterant, vt ostenderetur, Iesuitas non magis esse auaros, quàm opulentos. Sed quia contendo tecum & cum tui similibus calumniatoribus, addam adhuc aliquid super hac re, vt experiamur, an tibi & illis os, saltem ad exiguam temporis partem, obstrui possit.

Luc. 11. & 18.

CAPVT XXXIX.

Quot indiciis auarus cognoscatur.

DIcis, Iesuitas esse *auarissimos*, & probare nequis, nisi conuitiis. Ego vicissim assero, eos esse ab auaritia alienissimos, quod ne credas volo, nisi probauero. Duobus argumentis cognoscitur auarus: Primò, *locutione*: Secundò, *rebus & factis*: nam ista duo sunt certa cordis indicia, & veluti flores & fructus animę: & quemadmodum ex floribus & fructibus agnoscitur arbor: ita etiam homo ex operibus suis, quę sunt verba & actiones. Et hunc modum assignat Dominus noster ad indagandam alicuius bonitatem vel malitiam. Quare si quis loquatur & agat sicut auarus, euidenti argumento conuincitur auaritię morbo

Math. 7.

morbo laborare. At si loquendo & agendo liberales imitetur, nemo est, qui liberalitate præditum non agnoscat. Porrò, quemadmodum homo priuatus indicia sui præbet lingua & manu: ita Societas & quiuis hominum cœtus legibus & viuendi instituto. Hinc Sybaritæ habebantur olim non secus atque Epicurei, molles, effœminati, & ad omne voluptatis genus perquàm propensi: quia illorum leges nihil aliud præcipiebant, quàm epulas, choreas, delitias, & huiusmodi alias iucunditates, ad quas itidem cunctas cogitationes & actiones suas referebant. At Lacedæmoniorum Respub. temperantiæ & modestiæ summam laudem meruit, quòd legibus & actionibus gubernaretur, quæ Sybariticis illis ex diametro repugnabant.

Athenæus libr. 12. c. 6.

Cic. 5. Tusc.

Cæterùm, si tibi sine molesta iteratione eorum quæ hactenus dicta demonstrauero, Iesuitarum regulas & actiones planè aduersari auaritiæ, fidem meam liberauero, & te, siquidem animal rationis particeps es, conuicero, inde probationis meæ ducto exordio.

Tria sunt domiciliorum Societatis genera, in quibus omnibus viuitur legibus ab auaritia alienissimis. Patienter, si placet, ausculta. Primum locum tribuamus domibus, in quibus tirones biennij rudimenta ponunt, vt in Societatis corpus tempore illo exacto, votisq; nuncupatis cooptentur, si iudicio Superiorum iudicentur idonei. Secundo loco sunt Collegia, in quibus indiscriminatim Præceptores & scholastici; illi, vt doceant; hi, vt discant; omnes, vt suo tempore vberes Reipub. fructus afferant: omnes Religiosi, quippe tribus Votis ad Religionis naturam & essentiã pertinentibus obstricti. Hæc duo domiciliorum genera viuunt, aut viuere possunt ex reditibus & prouentibus perpetuis, si fundatorem habeant; cùm sine ingenti incõmodo fieri nequeat, vt vacent consuetis negotijs, simulque precariò vi-

Tria domiciliorum genera in Societate.

ctitent, & vnde vitam tolerent, ostiatim emendicent. Quòd si Collegii prouentus sufficiat alendis necessariis eo in loco sociis; nullas vel petere, vel oblatas acceptare eleemosynas licet: Si reditus maior sit, quàm pro incolarum numero; præcipitur in Constitutionibus, vt Scholasticis egenis victum ad Ecclesiæ emolumentum suppeditent: adeò illis cõmendatur religiosæ paupertatis studiũ, & cura benè & fideliter dispertiendi ea, quæ Dominus ipsis elargitur.

CAPVT XL.

De domibus professis Societatis Iesu.

TErtium locum obtinent domus professæ, quas incolunt, qui præter supradicta Religionis vota professionem fecerunt, aut vota publicè ediderunt; quiq; post multos in Collegiis exantlatos labores, pluribus annis docendo, concionando, & alias functiones suo Ordini consentaneas obeundo, eò mittuntur; vt iisdem functionibus ad finem vsq; vitæ vacent, docendi munere excepto. Si nulla sit huiusmodi domus in prouincia, solitis laboribus insistunt, aut in Indias mittuntur, aut ad alia loca in vineam Domini. Domus ista nullos potest habere reditus, nec eleemosynam stabilem & perpetuam, imò neq; pro ipsis Ecclesiæ sartis tectis, neq; pro sacrarij conseruatione & exornatione. Et licèt Cõcilium Tridentinum concesserit omnibus Religiosis paucis exceptis reditus in communi; tamen Societatis professi concessionis huius participes esse nequeunt, cùm tali priuilegio simpliciter sese abdicent, vt & omni iure ad bona immobilia, quę quoquo modo ad illos deferri possent. Et vt omni ex parte arx ista Religionis muniretur, professi, post professionem vouent, se nunquã permissuros, vt paupertatis

Domus professa caret reditibus

Sess. 25. c. 3.

tis leges in Societate laxentur, sed potiùs vt restringantur, si quando necessitas exigeret.

Nec potest egestas domuum professarum subleuari Collegiorum reditibus, neque Collegia id faciendi ius & potestatem habent, sed quotidianis eleemosynis, & piorum hominum munificentia sese tueri debent. Quæ lex tam arcta & rigida est, vt professus ali nequeat in Collegio, nisi ei sit vsui, ita, vt in eo simul laboret & manducet. Huiusmodi domus professę visuntur Romæ, Neapoli, Mediolani, Venetijs, & alibi; talis erat domus S. Ludouici Parisiis, fundata quondam à D. Cardinali Borbonio. Quæ fundatio in eo consistit, vt vna & prima vice Ecclesiæ suppeditentur necessaria, de habitatione, bibliotheca, de mobilibus atque suppellectili sacra prouideatur.

In quibus locis sint domus professe.

Hæc tria domorum genera, quantum ad paupertatem, quatuor habent communia: Primum, ex eleemosynis viuere, eo tamen discrimine, quod modò indicaui: nam domus probationis & Collegia viuere possunt ex eleemosynis fundatis & perpetuis, hoc est, ex reditibus eleemosynæ nomine in perpetuum assignatis; sed domus professæ precariò victitant, nec possunt gaudere reditibus. Secundum, neq; possidere, neq; quicquam possidere posse priuatim tãquam proprium; idq; non ex præscripto Reipub. Platonicæ, sed ex perpetua omnium Religionum consuetudine; quo de genere censentur pecunia, bona mobilia, vestitus, mensa seu conuictus, domus, ita vt *Meum* & *Tuum* ab huiusmodi Deo dicatis familiis procul exulent, grandeq; habeatur sacrilegium, peculium apud aliquem reperiri, excepto Procuratore & Superiore, quibus pecunia commissa. Tertium est, nihil posse accipere, quo videantur vllo modo cõpensari Societatis labores, & ministeria, vt lectiones, conciones, sacrificia, auditæ confessiones, preces, & similes fun-

Capita communia omnibus domiciliis.

ctitent, & vnde vitam tolerent, ostiatim emendicent. Quòd si Collegij prouentus sufficiat alendis necessariis eo in loco sociis; nullas vel petere, vel oblatas acceptare eleemosynas licet: Si reditus maior sit, quàm pro incolarum numero; præcipitur in Constitutionibus, vt Scholasticis egenis victum ad Ecclesiæ emolumentum suppeditent: adeò illis cõmendatur religiosę paupertatis studiũ, & cura benè & fideliter dispertiendi ea, quæ Dominus ipsis elargitur.

CAPVT XL.

De domibus professis Societatis Iesu.

Certium locum obtinent domus professę, quas incolunt, qui præter supradicta Religionis vota professionem fecerunt, aut vota publicè ediderunt; quíq; post multos in Collegiis exantlatos labores, pluribus annis docendo, concionando, & alias functiones suo Ordini consentaneas obeundo, eò mittuntur; vt iisdem functionibus ad finem vsq; vitę vacent, docendi munere excepto. Si nulla sit huiusmodi domus in prouincia, solitis laboribus insistunt, aut in Indias mittuntur, aut ad alia loca in vineam Domini. Domus ista nullos potest habere reditus, nec eleemosynam stabilem & perpetuam, imò neq; pro ipsis Ecclesiæ sartis tectis, neq; pro sacrarij conseruatione & exornatione. Et licèt Cõcilium Tridentinum concesserit omnibus Religiosis paucis exceptis reditus in communi; tamen Societatis professi concessionis huius participes esse nequeunt, cùm tali priuilegio simpliciter sese abdicent, vt & omni iure ad bona immobilia, quę quoquo modo ad illos deferri possent. Et vt omni ex parte arx ista Religionis muniretur, professi, post professionem vouent, se nunquã permissuros, vt paupertatis

Domus professa caret reditibus

Sess. 25. c. 3.

tis leges in Societate laxentur, sed potiùs vt restringantur, si quando necessitas exigeret.

Nec potest egestas domuum professarum subleuari Collegiorum reditibus, neque Collegia id faciendi ius & potestatem habent, sed quotidianis eleemosynis, & piorum hominum munificentia sese tueri debent. Quæ lex tam arcta & rigida est, vt professus ali nequeat in Collegio, nisi ei sit vsui, ita, vt in eo simul laboret & manducet. Huiusmodi domus professę visuntur Romæ, Neapoli, Mediolani, Venetijs, & alibi; talis erat domus S. Ludouici Parisiis, fundata quondam à D. Cardinali Borbonio. Quæ fundatio in eo consistit, vt vna & prima vice Ecclesiæ suppeditentur necessaria, de habitatione, bibliotheca, de mobilibus atque suppellectili sacra prouideatur.

In quibus locis sint domus professæ.

Hæc tria domorum genera, quantum ad paupertatem, quatuor habent communia: Primum, ex eleemosynis viuere, eo tamen discrimine, quod modò indicaui: nam domus probationis & Collegia viuere possunt ex eleemosynis fundatis & perpetuis, hoc est, ex reditibus eleemosynæ nomine in perpetuum assignatis; sed domus professæ precariò victitant, nec possunt gaudere reditibus. Secundum, neq; possidere, neq; quicquam possidere posse priuatim tãquam proprium; idq; non ex præscripto Reipub. Platonicæ, sed ex perpetua omnium Religionum consuetudine; quo de genere censentur pecunia, bona mobilia, vestitus, mensa seu conuictus, domus, ita vt *Meum* & *Tuum* ab huiusmodi Deo dicatis familiis procul exulent, grandeq; habeatur sacrilegium, peculium apud aliquem reperiri, excepto Procuratore & Superiore, quibus pecunia commissa. Tertium est, nihil posse accipere, quo videantur vllo modo cõpensari Societatis labores, & ministeria, vt lectiones, conciones, sacrificia, auditæ confessiones, preces, & similes fun-

Capita communia omnibus domiciliis.

ctiones Societatis instituto consentaneę. Quartum est, in nullo Societatis templo habere arculam seu gazophylacium, in quod eleemosynę coniiciantur. Quæ duo postrema sanctiùs longè & inuiolabiliùs obseruant, non quòd existimēt, non esse licitum de altari viuere ei, qui altari deseruit; vel quòd cæterę Religiones non possint mercedem & eleemosynas pro laboribus susceptis, vel munera Ecclesię oblata meritò admittere; sed vt arctiorem sibi paupertatis obligationem imponant, dum non modò illicitis, sed etiam concessis per eam sese abdicant. Et vt alij Religiosi interdixerunt sibi multis rebus licitis, nonnulli Societate, conuictu, & colloquiis familiaribus, vt Carthusiani; alij certo ciborum, alij certo vestitus genere, vt ferè omnes, licèt alij mitiùs, alij seueriùs; non quòd existimauerint, istas res & commoditates esse per se malas; sed vt maiori perfectione & vitæ austeritate Deo seruirent: Pari ratione Iesuitæ voluerunt priuare se etiam iis, quæ poterant accipere, & quæ aliis licita: vt Deo maiori puritate seruirent, nihil aliud sperantes etiam in hac vita præter illum, nec ab alio quidquam retributionis quàm à Deo expectantes. Et vt istæ leges ipsis fuerunt à Deo sanctissimè datæ, ita etiam ab ipsis seruantur religiosissimè.

1. Cor. 9. 1. Tim 5.

Hinc si legibus & regulis suis loquuntur, & si opera à legibus non dissentiunt, sed si potiùs tam illæ quàm hæc, planè cum arctissimæ paupertatis sanctionibus, caducarumq; rerum despicientia concordant: & si tu, licèt omnes neruos contenderis, nihil quo contrarium ostenderetur, attulisti; quo ore Iesuitas auaritiæ insimulare audes? Anne Rhamnū arbitraris illam arborem, quæ folia & fructus ficulneæ gerit? Iesuitæ priuârunt se priuilegiis, quæ Concilia & leges ciuiles illis concedebant, vt scilicet haberent reditus, iusq; acquirerent hæreditarium in res & facultates suorum sociorū;

Con. Trid. Sess. 25. c. 3. In nou. const. 5. de Monachis & alibi.

Consti-

Constitutiones & actiones nihil aliud sunt, quàm contemptus & abdicatio bonorum caducorum: & tu dicis, eos *quærere, prædari, & rapere pecunias, familias, & opes viuentium simul & mortuorum, extrema quadam auiditate.* Vnde habes, quod ais? Et vnde hanc tuam conclusionem deducis? Dic, quæso te, quãdoquidem lingua tibi adeò volubilis, & ad quoduis effutiendum tam procliuis est & præceps.

CAPVT XLI.

Quæ munem Iesuitæ accipiant, quæ respuant.

MIror iam videre te, manu sublata audientiam & attentionem petere, illudq; velle dicere: *Iesuitas versutia quadã seruare istas leges, vt fiant locupletiores, et in confessionibus quidem vnum aut alterum solidum, & in Collegio duos aureos didactri seu minerualis loco dari solitos, aliaq; eiusmodi minuta munuscula recusare: at si offeratur hæreditas aut opimum beneficium & Sacerdotium, aliúsue prouentus luculentus, si ciuium quispiam aut aliqua ex matronis, pietatis amore, si adolescens copiosus & nobilis in societatem ascitus, chiliadas aliquot auri & argenti donet, Iesuitas non esse tam rigidos, & in legibus suis obseruandis tam immotos, vt religioni habeant, quò minùs legis seueritatem nonnihil relaxent & mitigent, vt elogiis & benedictionibus tam exoptatis locum aliquem præparent: ac proinde eò cæteris esse callidiores; dum enim alij quasi conchis legendis intenti occupantur, istos grandia cete venari.* Videlicet illud est, quod & in tua actione insinuas potiùs, quàm explicas. Et hic est *lapis ille offensionis*, in quem primò omnium incurritur, tunc cùm de immensis Iesuitarum thesauris sermones instituuntur.

Sed multa suppetunt, quæ pro Iesuitis respondeamus, reiectis calumniarum spiculis ad illos ipsos, à quibus prodierunt. Primum igitur dico, Iesuitas nihil recusare vel admit-

tere propter magnitudinem vel tenuitatem; sed propter leges & regulas suas accipiunt id, cuius accipiendi copiam facit regula, siue munus grande sit siue exiguum. Recusant, quicquid regula accipere vetat. Ais, *recusare illos duos solidos ex confessionibus, aut duos aureos à scholasticis dari consuetos, quòd ea summa sit exigua.* At ego aliam huius rei caussam, eamq; veram do; quia mercedem illam scholasticam admittere repugnat illorum regulis. Iterum dicis tu, *accipere illos mille aureos annui reditus, quòd summa hæc sit satis grandis:* Ego autem id fieri contendo, quòd regula hoc non prohibeat. Qui Iesuitarum res vel obiter tantùm perspectas habet, is nouit, illos admittere eleemosynas & largas & minutas; & vicissim aliquando recusare dona ingentia & exigua. Ex multis, quæ ad hoc demonstrandum adducere possem, cõtentus ero vno duntaxat vel altero exemplo. In Burgundia anno M. D. LXXXV. triennio post Collegium Diuionense fundatum, fuit rusticus quidam fortunæ & sortis pertenuis: ex Is supra Tillum oppidulo non longè à Diuione dissito, quo interdum Iesuitæ concionandi gratia excurrebant, cùm moriens Iesuitarum precibus Deo sese commendari percuperet, tres Albos nummos Gallicos Collegio legauit, cùm maius donum testandæ pietatis non suppeteret. Allatum est legatum illud Diuionem ad Collegium, quod Rector lætissimo & libentissimo animo accepit, memor duorum numorum viduæ Euangelicæ, moxq; imperauit, pro anima defuncti sacrificia & preces Deo immolari, non secùs ac si multa iugera agrorum Collegio legata fuissent.

Legatum pauperis cuiusdam rustici.

Cæterùm anno M. D. LXXII. cùm nobilis quidam Vasco mille aut plures libras annui reditus Iesuitis offerret, pro lectione quadam Burdegalæ instituenda & fundanda, ea conditione, vt quotannis Oratio super ea fundatione haberetur, admissis Fundatoris laudibus & encomiis: Iesuitæ summam

Magnum legatum à Iesuitis reiectum.

ſummam illam pecuniæ magno animo recuſarunt. Habes exiguum munus admiſſum & grande recuſatum, duobuſq; exemplis expreſſum, & quaſi delineatum vides modum, quo & in accipiendo & in recuſando vtuntur. Accipiunt ergo res tenues, magnaſq; recuſant; non rebus ſed regularum ſuarum permiſſu vel interdicto ducti. Vir bonus & rectus, cui ex vſura vel obolum quidem ad ſe delatum accipere religio ſit, ſaluo officio admittet mille aureos ſibi muneri datos, quem ſi quis dicat, recuſare exiguum amore & dulcedine maioris, is calumniator erit. S. Petrus ſeueris, minacibusq; verbis repudiauit pecuniam à Simone Mago ſibi oblatam, quam probabile eſt haud adeo magnam ſummam confeciſſe: & tamen ille idem Petrus ſeueriſsimè puniuit Ananiam & Sapphiram, quod totam æris ex agro redacti ſummam non attuliſſent. Dicéſne, quòd recuſarit exiguum munus Simonis Magi, vt adipiſceretur maius abiſtis? Recuſauit paruum, quia non licebat pro rebus ſacris pecuniam accipere: exegit magnum, quia decebat illud reddere Deo, cui per votum erat conſecratum. Cæterùm ſi apud Ieſuitas videres libros, in quibus bene de ſe meritorum nomina conſignant, reperires multò plures, qui exigua ſtipe, quàm qui magnis muneribus eos ſui fecerunt memores. Act. 8. & 5.

CAPVT XLII.

Quantam pecuniæ ſummam Ieſuitæ colligerent, ſi à ſcholaſticis & alius mercedis loco aliquid acciperent.

NEQVE illud prætermiſerim, te falsò, fallaciter & ſophiſticè loqui & agere, cùm dicis Ieſuitas recuſare parua, quando recuſant duos aureos illius ſcholaſticæ mercedis, quam *Landy* Pariſien-

ſes vocant, aut quinq; aſſes pro vno ſacro, duos ſolidos pro confeſsione audita, centum aut plures aureos pro concionibus, duos ſolidos pro ingreſſu in Collegium, & pro id genus alijs. Nam licèt quælibet harum ſummarum ſeorſim & per ſe conſiderata ſit exigua; omnes tamen ſimul coniunctæ grandem & commemorabilem ſummam efficiunt. Lutetiæ, exempli gratia, Ieſuitæ erudiebant in ſuis ſcholis duo ſcholaſticorum millia; duo aurei mercedis illius literariæ, pro quolibet capite aſcendunt ad ſummam duodecim millium librarum quotannis, non numeratis plerisq; Principibus, maiorumq; gentium ac familiarum adoleſcentibus, quorum magna iſthic copia, & quiuis pro ſua parte quinquaginta, centum, aut ducentos aureos dediſſet. Candelę, pro quibus quisq; dat monetam illam Gallicanam, quam *teſton* ſeu *teſtile* appellant, efficiunt ſummam 2000 & 500. librarum, vel circiter: duo ſolidi pro porta ſeu ingreſſu ſingulis menſibus, à duobus millibus ſcholaſticorum, efficiunt bis mille, & quadringentas libras annui prouentus. Quinq; ſolidi pro quolibet ſacro quotidiè, triginta aut pluribus Sacerdotibus in eiuſmodi Collegiis ſacrificantibus, efficerēt bis mille & ſeptingentas libras. Confeſsiones & concionēs maiorem adhuc ſummam. Omnibus ergo computatis & ad trutinam reuocatis, tota prædicta ſumma ſuperaret viginti duo millia librarum anniuerſarij reditus, quo Collegium Pariſienſe lautè vitam agere potuiſſet.

Cæterorum verò Collegiorum vel infimum ſeruata proportione acciperet à ſuis ſcholaſticis quatuor millia librarū: quo fit, vt in vniuerſum ad Ieſuitas pluſquam centum miſlia librarum quotannis peruenirent. Hoccine eſt, Arnalde, iudicio tuo duos ſolidos aureoſue nummos contemnere? Videturné tibi iſta ſumma adeò exigua? Negaréne poteris ſatis idoneam eſſe ad corroborandum caballum Hiſpanicum

Duplo maius eſt quod Ieſuitæ recuſant, quam eorum reditus.

nicum, satisq; numerosam ad reparandam, piceq; & resina oblinendam, nauem Iesuiticam; vt in Indiam traiiciat, auriq; tot myriadas expiscetur? Si Iesuitæ ad rem, & numos tam attenti essent, & tam acres ad prædam, tam famelici, tam sitibundi, tanti Tantali & tam ingenioſi ad excogitandas opum comparandarum rationes, vt tu vociferaris; putásne fore, vt rationem tam facilem & expeditam immensas gazas corradendi contemnerent: rationem, inquam, tam securam, omnisq; periculosæ aleæ expertem? Neq; quisquam reperiretur, cui hoc molestum accideret, quin potiùs permultis gratum foret: suppeteret enim illis modus muneribus & honorariis filios suos cõmendandi, & in gratiam apud Magistros ponendi, nec rarò vidi quosdam ægrè ferre, cùm pecunias à se oblatas recusari viderent. Tu ipse, qui didactra & literarias mercedes approbas, simulq; extraordinarias etiam pecunias domo missas, *vnde toga niteat*, dilaudas, nihil vtiq; inuenires, quod meritò culpares.

Pro certo igitur statuendum est, Iesuitas cùm omni huiuscemodi emolumento sponte & libenter careãt, non adeò inexplebili diuitiarum cupiditate teneri, vt tu mentiris; sed paupertatis religiosæ amatores esse. Qui finem aliquem sibi præstituit, is etiam de idoneis mediis seriò deliberat: nam qui ad eruditionem tendit, ille doctorum hominum cœtus obit, & Magistris omni doctrinarum genere excultis sedulam operam nauat. Qui opes appetit, emporia & mercatus frequenti conuenarum multitudine frequentari solitos indefesso studio adit. Cùm igitur Iesuitæ tua sententia, adeò sint industrij, solertes, sagaces, vigilantes & infatigabiles, finemq; vnicum propositum habeant, nempe magnam opum vim & Crœsi Midæq; thesauros; quî fit, quòd tam præclara media ditescendi neglexerint? cur non vbiq; & omnibus suis Collegiis Conuictorum contubernia coniun-

gunt? cur ea, vbicunq; licet, renuunt & respuunt? Sed & alius opes parandi restat modus. Cur non etiam ex funeribus aliquid corradunt? Cur non occupant se curandis funeribus & sepulturis? Cur non totum faciunt, vt totum rapiant? Cur ex omnibus mediis minora, difficiliora, & vulgi iudicio, minùs tuta elegerunt? Quod genus eleemosynæ, quæ pendent ex voluntate & aliorum charitate, quæ hoc seculo rara & modica & propè frigefacta, imo gelu quodammodò astricta. Seu quomodo nobis persuadebis tot præclara ingenia, tot nobiles, tot bonæ mentis & puræ conscientiæ homines, domos suas, fortunas & opes, quas possidere, retinere, & augere poterant in seculo, securè, facilè, & sine iniuria, deserere, Iesuitisq; negotiationis causa sese adiungere voluisse, vt ditarentur non sine salutis & honoris dispendio, & vt illis opibus cumularentur, quarum neq; possessio neq; fructus & vsus permissus est? An ne iure inficiaberis te insignem sycophantam simul & delirum esse, qui tam stolida & tam malè sibi cohærētia mendacia texas?

At recipiunt legata & munera ex liberalitate piorum hominum profecta. Non negauerim. Sed cùm hoc faciunt, priuilegio vtuntur communitatibus & Collegiis à iure concesso, quo videlicet omnibus fit potestas testamento facultates suas transcribendi Religiosis. Ex quo tu non conuitiorum, sed potius laudis materiam sumere debuisses. Nam cùm oporteat Iesuitas aliqua tandem ratione vitam sustentare; non poterant sanè religiosiorem, & generoso pectore digniorem modum inire, quàm si se diuinæ prouidentiæ committerent, nulla spe in propria industria laboribusq; susceptis collocata, omniq; iure mercedis petendæ remisso: talis enim animus admodum liberalis & anchora Christianæ spei, diuinæ bonitatis certissimo præsidio firmatus, victor terræ, rerumq; terrestrium, quidquid agit, id propter

Deum

Deum agit, nihil sperans præter Deum. Et hoc itidem modo maiores ad proximos vtilitates redundant, qui cum occasione dandi eleemosynas, habent etiam occasionem apud Deum merendi; qua caret ille, qui stipendio vel mercede suis Magistris vicem reponit. Hunc eundem modum approbarunt & leges; quid quod & præcipua iura ac priuilegia Collegiorum & Communitatum in legatis & eleemosynis consistunt?

Legata & beneficia sunt Iura Collegiorum L. cum senatus ff. de rebus dubiis, & L. omnibus ff. ad SC. Trebell.

CAPVT XLIII.

Cur Iesuitæ vulgo censeantur opulenti.

SED fortè hîc aliquis, qui ad fundum tuarum calumniarum peruenire velit, scisciteur, cur Iesuitæ vulgo credantur & habeantur auari, si tam pauperem vitam degant, & ab auaritiæ sordibus tam alienam? Quæstio hæc maximè ad hunc locum & ad hanc materiam pertinet, vt communis erroris causſæ inuestigentur, quarum permultæ; sed præcipuas attingam. Prima, quam reliquarum fontem & originem rectè appellauerim, cur Iesuitæ censeantur opulenti, sita est in peruersa quadam & deprauata vulgi persuasione, cui familiare, imò propriũ, falsa extollere, & vera deprimere, videlicet pro affectus conditione & statu. Videt v. g. imperita multitudo Iesuitas nonnihil possessionum habere, partisq; contentos viuere magna animi alacritate & iucunditate: mox cuiusq; statum non ex ipsa re subiecta, sed ex præconcepta opinione æstimans, causſam alacritatis adscribit caussis externis, affluentiæ nimirum & copiæ fortunarum & opum, nomenq; ex hac fictitia & imaginaria causſa, ei indit, cùm capere nequeat, quomodo tanta animi æquitas & læta promptitudo alio ex fonte, quàm ex rerum caducarum abundantia & v-

Prima causſa.

bertate procedat, cùm potiùs ex horum omnium contemptu proficiscatur. Eodem modo Epicurus assequi non poterat, hominis beatitudinem aliunde oriri posse, quàm ex voluptate, vel alia vlla in re quærendam esse. Vulgus itaq; Iesuitas diuites existimat, quia videt rebus suis contentos: fallitur tamen hoc suo iudicio: non quòd absolutè existimet eos esse diuites; sunt etenim; cùm veræ diuitiæ consistant in eo, vt quis rebus suis contentus viuat: sed quod eos existimet diuites propter bona temporalia, quæ non habent, & à quibus neq; solida quies, neq; vera animi tranquillitas expectari potest.

Secunda Causa Secunda causa huius erroris est eiusdem imperiti vulgi, fanda & infanda dicendi propensio: dum enim corrupti iudicij vestigia sequitur, mox in apertum profert & protrudit mendacium in intimis animi penetralibus conceptum, illudq; in aures hominum vario sermone instillat & insusurrat, & si probabilitatis species desit, colorem appingit, & varias glossas excogitat, quib⁹ eleemosynas, facultates, opes & thesauros exaggerat, verisimilesq; efficere conatur, notâ auaritiæ omnibus Iesuitis aspersâ. Quocirca sæpè videre fuit, decreta Iesuitis aliqua stipe, totam vrbem de ea, prout corde ferebat voluntas loqui, & quemlibet pro amore & odio, quo in Iesuitas ardebat, suam symbolam contulisse & glossam addidisse, vt & tu in hac tua Inuectiua abundè fecisti.

Legatum præsidis S. Andreæ. Quando præses S. Andreę legauit Iesuitis quatuor millia aureorum, quod legatum suprà criminatus es, rostroq; tuo repando proscidisti, vel potiùs rescidisti; nullus tam abiectæ conditionis Parisiis erat, qui non diceret suam sententiam de Iesuitarum opibus. Si legatum illud ad alium, testatoris voluntate, pertinuisset; nemo de eo vel verbulum fecisset.

Mercator

Mercator quidam locupletissimus, cuius opes centum millia aureorum facilè æquarũt, Lugduni M.D.LXXXIIX. hæredem scripsit alium mercatorem, amicum suum, æquè diuitem, liberis etiam orbum. Quis testamentum hoc accusauit, verbisue publicè vel priuatim traduxit? Nemo planè. At si Iesuitis tanta hæreditas obuenisset, rumor ex Themistitan mox ad extremas vsq; Sinas & Iaponas perlatus fuisset, Iesuitas omnium mortalium opulentissimos euasisse, vt rectè quidam dixit eo ipso tempore, quo hæc Lugduni agebantur. *Testamentum cuiusdam Mercatoris.*

Sub idem tempus quidam in Religiosum Ordinem cooptatus, attulit suo Conuentui duodecim millia aureorum, nec quisquam miratus est, clamoréue vllos sustulit: Si tanta summa Iesuitis cessisset, multiplicata fuisset per omnes numulariorum & trapezitarum Gallicanorum mensas & stationes; & loco vnius, qui tunc pecuniam dedisset, dictũ fuisset, *omnes dare, dedisse, & daturos*, cum glossa illa ordinaria, *quòd Iesuitæ ad se alliciant adolescentes diuitum, vt eorum fortunas inuadant.* *Munificentia cuiusdam Religiosi.*

Anno M. D. LXXXIX. Domina Dotaria à S. Chaumõdo Ludouica de Anceſſune, donauit triginta duo millia Francorum pro fundatione domus probationis Iesuitarum Auenione. Libenter nugigeruli sparsissent, fuisse circumuentam, dolisq; expugnatam: sed quia calumnia hæc omni probabilitate carebat, quod publicè constaret, Dominam illam vt pietate, ita & iudicij prudentiæq; ornamentis præ alijs præditam; ideò stilum verterunt, aliisq; modis & machinis munificentiam matronæ illius appetierunt: cùm alij clamarent, pecuniam illam dandam fuisse nosocomiis, alij puellis nubilibus, quas egestas à coniugio impedit; alij Monialibus, quidam alijs familiis Deo dicatis, alij alijs; & cùm nonnulli eousq; progrederentur, vt cum ipsa etiam Domina *Donum Dominæ de S. Chaumondo.*

hac de re expostularent, respondit; *Si lubet vobis eleemosynas erogare, facite id arbitratu vestro, nihil moror; rogo tamen, vt per vos quoq; mihi licuerit munificam esse in eos, quos maximè dignos mea munificentia arbitrabor. Duodecimus iam agitur annus, cùm hanc mihi mentem Deus misit, & si locum tutiorem nouissem, ei vtiq; pecunias meas credidissem.*

Responsum prædictæ Dominæ.

Circa eundem annum Iesuitæ Tolosani adiuti stipe cuiusdam ex suis sociis villam emerunt, cui *Campania* nomen, non procul ab vrbe, eo potissimùm fine, vt quinquaginta vel sexaginta studijs addicti, laboribusq; vrbanis confecti haberent, quo se interdum valetudinis tuendæ, & virium reparandarum gratia reciperent. An non derepente omnes campanæ *Campaniam* hanc resonabant? An non ista *Campania* per aspera & plana viarum, & per totam Aquitaniam cõfestim peruasit; vt olim Ægyptiorum horti pensiles & portatiles immensos marium tractus? An non communi hominum sermone ferebatur, Iesuitas totam mox empturos Vasconiam, partemq; mediam Languedoci, marisq; rubri littora & terminos? Hæc ergo secunda est caussa, cur Iesuitæ habeantur opulenti, etiamsi opulentiam nullam possideant.

Quid Iesuitis Tolosanis euenerit.

CAPVT XLIV.

Redduntur tres aliæ causſæ cur Iesuitæ habeantur opulenti.

TErtia causſa, quæ ex his duabus nascitur, est error populi, deceptionibus & dolis obnoxij, qui & lingua & auctoritate aliena potissimùm ducitur, neq; quidquam pensi habet, vt veritatem inuestiget, præsertim iis in rebus, quarum curam ad se pertinere non putat. Hic error vbi inualuit, tempore

L. Barbar. ff. de off. præ. & L. suppellectili ff. de suppellect. legata.

&

& consensu corroboratus, iuris naturam induit, in quacunq; demùm materia versetur. *Error enim populi facit ius*, ait Lex, in alia materia; & quidquis sibi persuadet, in omnium aures vltrò etiam sese insinuat, & quacunq; incedit longas subsequentium, iisdemq; vestigiis insistentium turmas trahit, vel potiùs pleno gradu rapit. Peruulgatus pictorum error est, Lunam semper pingere cornibus ad Solem conuersis, quod non modò experientię, sed & arti repugnat: nam ars imitari debet naturam, neq; vnquam talis Lunę positura in cęlo apparet, nihilominùs quà data porta ruunt omnes pictores, ne vno quidem excepto, in eundemq; errorem iam, vt sic dicam, *priuilegiatum*, omniq; venia dignatum labuntur, nisi fortassis inposterum consilia, vel potius penicillum in melius referant.

Nec carent suis næuis Historiographi: vigesimus iam annus est, cùm qui Pontificum chronologiam edidit, locum quoq; & stationem suam in illa serie attribuit cuidam fœminæ, velut olim ad summum Pontificatum euectæ. Et sculptor ille, qui statuas Pontificum Senis in templo primario sculpsit, committere non potuit, quin operæ & laboris aliquid huic commentitię Papissę sculpendę surriperet. Scriptoribus igitur, statuariis & pictoribus rumor ille vanus & inanis ducis, imò veritatis loco erat; donec communem errorem permulti doctrinâ præstantes viri profligarunt, inter quos ex Gallis nostris, Raymundus Consiliarius Curię Burdegalensis, qui notatis primis huius fabulę auctoribus & editoribus omnes mendaciorum sutelas eruditis suis scriptis intercidit. Popularis ergo error Iesuitas opulentos reddidit, cuius hæretici auctores primi & fautores, vulgus approbator & subscriptor; quo factum est, vt quilibet sibi persuaserit, & etiamnum persuadeat, Iesuitas Crœsos esse aut Midas; quod tam verum est, quàm verum, fœminam fuisse seu Papam seu Papissam.

Quarta

Quarta causſa eſt, Ieſuitarum ſilentium, qui vulgi rumoribus obuiam non eunt, ſed tacent, in id vnum intenti, vt à rectè factis nunquam deſiſtant; rati, regium & heroicum eſſe calumnias perpeti, ab omnes officij partes expletas. Hinc, ſi quis tunc, cùm maximè traducuntur, interroget, cur ferant, vt adeò opulenti cenſeantur, neq; ſeſe à calumnijs vindicent: *Sinite*, inquiunt illi ſubridendo, *imperitæ multitudini ſuum errorem, pro nobis enim facit, tunc cùm mutuam pecuniam poſtulamus.*

Quinta causſa eſt Ieſuitarum liberalitas. Nam quando offertur iuſta æris expendendi occaſio, quando curandus æger, emendi libri, ornanda Eccleſia, mittendi ſcholaſtici ſtudiorum causſa ex vna orbis parte ad aliam, aut ad Collegia, eodem fine euocandi; & quando alia huius generis facienda occurrunt, omnia liberaliter inſumũt, nec vlli ſumptui parcunt. Et hæc eſt causſa, cur plerique, qui minùs adhuc, quàm poſsint, expendere ſolent, ſuo pede Ieſuitas metiantur, & vt diuites traducant, perſuaſi, id quod ex magnanimitate animi prouenit, ex abundantia opum proficiſci. Quod verò ad miſsiones attinet, ſanctè teſtari & affirmare poſſum, hoc tempore Ieſuitas Hiſpanos & Luſitanos ope aliena non adiutos, rebus domeſticis admodum tenuibus & arctis in Hiſpania & Luſitania, ſuſcipere omnes illos ſumptus, qui neceſſarij, vt ad conuerſionem infidelium idonei operarij, in Indiam, quæ ad ortum & quæ ad occaſum, deſtinentur, neq; quiſquam eſt, cui non ad tantum itineris ſit neceſſarium viaticum quingentorum aureorum. Hinc fit, vt ſæpè conflent æs alienum, ſexaginta aut ſeptuaginta millium aureorum, cùm multa illorum Collegia mille annuis non gaudeant. Et hæc eſt illa nauis Ieſuitica.

Habes quinq; causſas theſaurorum
Ieſuiticorum.

CAP.

CAPVT XLV.

Duæ cauſſæ, cur Ieſuitæ habeantur auari.

PRorsùs cur habeantur auari, duas cauſſas inuenio. Prima eſt diligentia conſeruandi illud exiguum, quod poſsident: nam cùm ſit peculium pauperũ, eiuſq; Superiores non ſint Domini, ſed adminiſtri, officio ſuo obligantur; vt illud, quantumcunq; eſt, tueantur, tanquam Deo rationem adminiſtrationis ſuæ reddituri. Iſta obligatio facit, vt Procuratores & Oeconomi illorum modò huc, modò illuc ſe conferant, & nunc rus nũc vrbem petant, vt iuſtitię opem implorent, & controuerſiis excitatis finem imponant, aliaq; negotia tractent, quibus inuiti planè tempus & otium impendunt. Hoc ſcilicet ſtudium parit Ieſuitis auaritię & inexplebilis cuiuſdam cupiditatis exiſtimationem apud imperitos, quaſi huiuſmodi in rebus conſeruandis ſolertia & induſtria aliunde manare nequeat, quàm ex habendi inexſaturabili deſiderio, cùm potiùs oriatur ex officio & obligatione, qua, qui præſunt, curare debent, vt bona communia integra ſeruentur, & ad poſteros tranſmittantur. Nam ſi tutores, ſi adminiſtratores bonorum communium, ſi Magiſtratus non habentur auari, quòd ſeruent & augeant facultates ſuorum pupillorum, hoſpitalium, vrbium & Rerumpub. cur Ieſuitę exiſtimentur auari, ſi ſeruare conantur, quod à diuina bonitate acceperunt?

Secunda cauſſa eſt patſimonia, licet non ſordida, & recta œconomia, cuius ſunt ſatis gnari, quippe quæ Religioſos minimè dedeceat: & vt liberales ſunt cum ratione, ita etiam ſuo tempore reſtricti & parci, quod feliciter cedit. Nam Collegia Ieſuitarum non ſine magnis impenſis ſuſtentantur,

tantur; alendi, vestiendi, omnibusq; rebus necessariis instruendi: sunt homines literati, libris q; perpetuò addicti, quorum necessitates moram non ferunt: Curanda sunt viatica, libri comparandi, quærenda ægris pharmaca, & sexcenta alia extra numerum & ordinem facienda. Hinc mille aurei, qui alicui ciuium familię satis sunt, quotannis triginta capitibus alendis, non sufficiunt alendis quindecim Iesuitis: neq; tam accuratam rei familiaris rationem obseruare possent, quin duplo maiori ære alieno sese grauarent, quàm sit annuum vectigal, nisi eleemosynis extraordinariis adiuuarentur; quæ si abessent, etiam cum omni sua parsimonia & attentione nomina non facilè soluenda facerent. Ecce quomodo Iesuitę diuites sint & auari.

Nunc ad extremum argumenta tua resumamus, & innocentię signum in arce tuarum calumniarum collocemus. Dicebas, *Iesuitas non aliud spectare, quàm vt Regem Hispaniæ faciant Orbis Monarcham, illos ab eo honorari & ditari eo fine, Iesuitasq; cùm sint ambitiosi, auari, honorisq; cupidi, indies plura ab illo Rege sibi polliceri.* Demonstraui tibi, Iesuitas neq; esse, neq; esse posse, nisi Gallos, etiamsi ament & venerentur omnes Reges, Principes & populos Catholicos, Germanos, Hispanos, Polonos, & omnes, quotquot sunt huius classis & ordinis, nihilq; magis in Societate commendari, quàm honoris fugam: Item, Iesuitas pauperes & paupertatis Religiosę amatores esse, & nullo modo expectare, nec expectare posse laborum suorum compensationem à Rege Hispanię, sed quærere in Gallia & vbiq; amplificationem boni publici in Ecclesia Dei, & in Gallia, Gallię præsertim profectum. Restat, vt concludamus, te in hac tota materia nullam veritatem protulisse, sicuti nec alibi.

Epilogus calumniarum quas hactenus Arnaldus effutiuit.

CAP.

CAPVT XLVI.

Iesuitas Iuuentutem Gallicam non deprauare.

QVid amplius habes de Iesuitis? *Hispanismo*, inquis, *imbuunt iuuentutem*, hoc est, iuuenes Galliæ reddunt Hispanos, vt semper aliquos Hispaniæ adijciant, & quasi lucrifaciant. Sed si intellexisti id, quod tibi superiùs respondi; plura, quàm velis, nisi fallor, reperies, quæ ad hoc secundum tuum propugnaculum deturbandum valeant. Nam si Iesuitis caussa nulla suppetit, cur Regem Hispaniæ ad orbis Monarchiam euehant; minus vtiq; caussæ habebunt, cur iuuentutem Gallicanam efficere velint Hispanicam. Rem enim aggrederentur, non modò sibi inutilem, sed & humanis viribus ferè superiorem; cùm difficilimum sit, genium & ingenium Gallicum mutare in Hispanicum. Addo præterea, si Iesuitæ *Hispanismo* iuuentutem Gallicam corrumpunt, vt tu dicis, tantoq; conatu crucem rubram in Gallorum pectoribus insculpunt, idem eos facere, vbicunque degunt, vt ita magis magisque Hispanicam istam Monarchiam propagent: at in toto orbe degunt, in Bohemia, in Polonia, in Germania superiori & inferiori, & in celebrioribus vrbibus earundem regionum, imò Augustæ Vindelicorum, vbi ne tertia quidem pars ciuium Catholicam fidem sequitur. Degunt etiam in tota Italia. Si ista munia obirent pro bono Regni Hispaniæ, sumptibus istarum Rerumpub. & Principum, putásne forè, vt tolerarentur, & non quantocyùs exterminarentur? Nulla enim affectio tenerior est, nulla validior & violentior, quàm præeminentiæ amor: nulla æmulatio potentior, & vindictæ appetentior, quàm quæ de regali dignitate existit. Nec quisquam est, qui regnum suum & statum tanti non pendat,

quanti Rex Hiſpanię ſuum; nec quiſquam præter te Ieſuitas in ſuſpicionem huius rei adduxit. Eſt igitur hoc Miniſtrorum & hæreticorum commentum, qui ſecundo mendaciorum & calumniarum vento hoc tempore ad exagitandos Ieſuitas, & ſi Deus ſinat, penitùs obruendos vſi, vbiq; plenis buccis perflant, & vt germani filij Regis ventorum & vanitatum, dæmonis inquam, pandunt omnes ingenij ſui quaſi ſpeluncas, ventis magis tumidas; quàm Æoli cauernas, vt turbines & tempeſtates excitent in Ieſuitas, quos tantum amant, quantum amabat vana illa Iuno Troianos, quibus horrendum illud carmen occinebat:

1. Aeneid. *Gens inimica mihi tyrrhenum nauigat æquor,*
Incute vim ventis ſubmerſasq; obrue puppes.

Iſti igitur buccinatores folles tuos inflarunt, ventoq; complerunt, vt in Ieſuitas Pariſiis inſanis clamoribus detonares, foribus occluſis, vbi magno quodam miraculo in lucem produxiſti illam ingentem nauim Ieſuiticam, tranſlatam ab altero mundi extremo ad alterum, ſpatiis intermediis non tranſcurſis: neq; vnquam antehac in Sequanę ripa viſam; neq; vnquam niſi à ſeptem octoue annis audita ſunt illa: *ex Hiſpano, ex Hiſpania, iuuentus Hiſpaniſmo infecta,* & id genus alia ventoſa vanitate tumentia. Nam tempore Caroli IX. non fiebat Hiſpanorum mentio niſi in bonam partem, ſed hæretici non odio nationis, Angli enim & Germani magis exoſi debent illis eſſe, cùm maiora mala intulerint Galliæ, quàm alia quæuis natio: non odio nationis, inquam, ſed Religionis, conati ſunt Hiſpanos reddere inuiſos & odioſos prætextu Reipub. & regni, & nomine *Hiſpani* ſignificare voluerunt ſubtili quodam artificio bonos Catholicos, quod paſsim facis in tota tua actione, magno honore Hiſpanos, quod non aduertis, & Gallos magno dedecore afficiens.

Quid hæretici intelligant nomine Hiſpani.

CAP.

CAPVT XLVII.

Iesuitas Iuuentutem Gallicam non seducere.

QVod si illis verbis: *Hispanizare*, seu *Hispanismo iuuentutem imbuere*, nihil aliud significare cupis, quàm iuuentutem à Iesuitis in fide Catholica institui, capient te non in vocabulo, sed in vocabuli significatu; spretaq; vanitate tua fatebũtur, te malè lequendo, verum dixisse: at si indicare velis, animos iuuentutis Gallicę, operâ Iesuitarum, à suo Rege & Principe naturali auerti; mentiris; vel ipsa experientia (præter id, quod iam dixi) teste, quę perspicuè docet, omnes in scholis Iesuitarum eruditos, bonos esse Gallos, & omnes Catholicos, valde paucis exceptis, & sui regis amatores & patriæ. Sed planiùs & clariùs dicis, *Iesuitas iuuentutem seducere & incantamentis suis dementare.* Verùm huius tuę locutionis idem est sensus, qui verbi *Hispanizandi* vel *Hispanismi*: vtroq; enim loco indicas, iuuentutem à Iesuitis institui in fide Catholica, quod iuxta Caluinum est, iuuentutem seducere & fascinare.

Fingis etiam, iuuenes pellici à Iesuitis ad Religionis ingressum, quod ex eiusdem Caluini doctrina, nihil aliud est, quàm miseranda *fascinatio & corruptela.* Contra quam sententiam pluribus hîc disputare nolo, cùm hæresis eius non lateat, sed pateat: explicabo tamen, vt satisfaciam, non tibi, sed catholicis, quàm immeritò Iesuitę in suspicionem vocentur, quasi homines seducant & fascinent.

Neminem in Societatem adscribunt, cui cum maturitate iudicij non sit prudentia, & aliquis rerum vsus, quique minimum decimum septimum, aut decimum octauum annũ non attigerit: Et si sit Studiosus, necesse est, vt in literarum

Quo delectu et iudicio Iesuitæ tirones legant.

politiorum cognitione, linguisq; probè sit versatus & exercitatus. Neq; quenquam temerè, & sine longa deliberatione voti compotem reddunt. Vidi meis oculis, quod verè testari possum, quosdam biennium, triennium & quadriennium expectasse, ita, vt multi tam longæ morę pertæsi in exteras regiones se contulerint, quò reciperentur, vt Franciscus Canillac Romam, & Renatus Airaldus Treuiros, quos solos nomino, licèt multi alij, quos nominare possem, non desint, quia ipsos nominatim retulisti in numerum eorum, qui à Iesuitis dementati & seducti sint. Pleriq; prius, quàm suaue iugum Domini subeant, ad parentes mittuntur, vt consensum & benedictionem ab illis impetrent. Quòd si hoc aliquando non seruetur, id vel fit propter prouectiorẽ ætatem, vel propter euidentia, quę elucent, vocationis diuinę signa, vel quòd parentes habent hæreticos, vel nimia ira alioué affectu percitos & perturbatos, adeò, vt periculum sit, ne filiis, si coràm agant, aliquid nocumenti adferãt. At Superior, cui ius admittendi, & in sociorum cœtum allegendi, primò omnium quærit, num veniant ab aliquo persuasi, humánoue respectu commodi alicuius inducti, & si quid huiusce modi interceserit, votis nunquam annuit, sed iubet, vt negocium tanti momenti Deo per preces de integro commendetur.

Modus seducendi & circumueniendi iuuenem est, promittere illi opes & dignitates Ecclesiasticas, & alias voluptates, delicias, libertatem, honores, & id genus alia blandimenta, in quę ea ætas suapte natura propendet, & quibus rapitur & agitur, non secùs, atq; accipiter dulcedine escę & prædę: at qui iuueni ingrata & insuauia proponit, is vtique talem doctis dolis & verbis non circumscribit. Leo, ait S. Chrysostomus, non appetit gramen, nec bos carnem, quia neq; hæc huius, neq; illud illius cibus: nec vanus & mundanus

Hom. 31. operis Imperf.

nus quærit res cæleſtes, vitioſisq; cupiditatibus contrarias, Ieſuitę illos, qui ſocietatem petunt, nihil aliud expectare iubent, quàm paupertatem, labores, pœnas, proprię voluntatis abnegationem, ſuiipſius contemptum, flagra, diſciplinas, cilicia, & ſimilia, quæ potiùs apta ſunt, vt domo aliquem poſtquam ingreſſus eſt, eiiciant, quàm vt ad ingreſſum alliciant. Quæ omnia cùm quidam Aduocatus in Burgundia ex filio ſuo, cui Societas in optatis erat, non ita pridem audiret: *Nebulo*, inquit, *quid putas te facturum in tam moleſta Religione, in qua quies nulla & relaxatio?*

Dictũ cuiusdã Aduocati.

CAPVT XLVIII.

Vocationem ad ſtatum Religioſum eſſe à Deo.

NEque illud prætermittam dicere, totam Ieſuitarum eloquentiam, & perſuadendi vim præſtantiſsimorum totius mundi Oratorum, non ſatis validam fore, vt aliquem vel ad Societatis, vel ad alterius religioſę familię inſtitutum inducat, niſi Deus cor tangat, & ab æthere bonam mentem mittat. Hinc rectè dicit Magnus ille Doctor D. Thomas, non eſſe dubitandum, quin vocatio ad Religionem ex Deo procedat. Obijcies fortaſsis, Ieſuitas ſeducere adoleſcentes obiectis cęli gaudiis, aut inferorum tormentis & cruciatibus, eo videlicet modo, quo ſuprà dixiſti, ægros & moribundos à Ieſuitis circumueniri, circumuentosq; expilari. Sed mihi quidem valde veriſimile eſt, tibi vel maximè in votis eſſe, ne harum rerum vlla fiat mentio, teq; de cælo parùm laborare, neq; magis ſolicitum eſſe de inferno, quàm de purgatorio: ſimilis enim videris nobilibus illis Hugonotis Viuarienſibus, qui ſuperioribus annis irridentes Miniſtrum ſuum,

In opuſc. cõtra retrah. à Rel. c. 10. et 2. 2. q. ult. a. ult.

Arnaldus parũ laborat de ſtatu futuri ſeculi.

suum, qui maxima contentione contra purgatorium disputarat, & limbum, vt sibi videbatur, ex rerum vniuersitate sustulerat, ita eundem suum Ministrum affati sunt: *Fac rogamus te, nobis etiam hanc gratiam, & æquè tolle infernum ac purgatorium, neq; vel de hoc, vel de illo vllos vnquam posthac sermones instituamus.*

Obserua lector impietatẽ Caluinistarum.

Qui de cælesti gloria, aut de supplicíis reproborum loquitur, is tuo iudicio, mundum seducit: sequitur ergo, Prophetas, Doctores, & ipsam Scripturam sacram, in quibus omnibus frequens harum rerum ad permouendos mortalium animos mentio, mundum seducere: Sed satius est, vt tu potiùs seductor & impostor audias, quàm vt tantam blasphemiam euomas. Iesuitę quidem sui defendendi caussa, nihil aliud afferent, quàm quòd patienter ferent, se à te tuíque similibus *seductores* appellari: hoc enim cognomento suum etiam Magistrum affectum esse, nec se propterea cõmissuros dicent, quò minùs publicè & priuatim intrepidè de cælo, inferno, morte, & iudicio extremo, iuuandi proximi gratia loquantur, & si vel vnum hominem harum rerũ commemoratione à peccati illecebris ad vitam sanctiorem & seueriorem traducant, credituros, se insignem victoriam reportasse, imò longè insigniorem, quàm Alexander Magnus vnquam reportárit.

Ego illud insuper addo, solam ignis tartarei comminationem, cælestísue felicitatis pollicitationem, si vis vehementior, manusq; potentior non accedat, minimè fore satis efficacem, vt hominem adolescentem pleno cursu ad voluptates, carnisq; blandimenta tendentem cohibeat, impetumq; properantis frangat, & à præsentibus, & ob oculos positis, ad futura & absentia transferat. Nimis ieiuna & imbecilla est hæc de cæli deliciis & inferni cruciatibus sermocinatio: Illa enim absentia, & ab hominum mundo deditorum, cogitatione

gitatione & consideratione longè remota sunt, nec in tam dissita mentis aciem intendunt, sed præsentibus affixi inhærent, eoque, quò sensus rapit, sese recipiunt: imò videre licet interdum decrepitos, & quibus mors iam pede pedem premit, cùm admonentur extremi iudicij, & rationis reddendę, præmiiq; pro meritis accipiendi, ridere, illudq; Gallis vsitatum prouerbium occinere, *terminum bene valere pecuniam*; quod eò magis illi dicunt, quibus melior hora dat vires & sanguinem meliorem, quò magis sese adhuc ab illo solutioni præstituto termino distare credunt. Quamobrem licèt inferni cæliq; seriò cogitata supplicia & gaudia maximum ad permouendum pondus habeant; quia tamen eminùs duntaxat, & quasi per transennam aspiciuntur, fit, vt apud multos non multum efficiant; & vt stellę, quę in firmamento lucent, admodum exiguę nobis propter distantiam apparent, cùm tamen minima terrę magnitudinem longè superet: ita etiam hîc contingit. Et vt nullus, præter doctos Mathematicos, nouit corporum cælestium molem: ita nemo præter prudentes Christianos, & in lege Domini meditari solitos, accuratè & examussim secum perpendit, quantum periculi & momenti insit in morte & extremi iudicij die, quantum miserię in gehenna, quantumq; glorię in cæleſti patria.

Quapropter alio, & quidem à prædictis distincto adiumento opus est, vt quis mundo valedicat, rebusq; perituris nuntium remittat: Opus est, inquam, oratore & impulsore, cuius in ore suauior Suada sessitet, quàm in ore hominis: Opus est, vt Deus ipse loquatur, & ita quidem, vt sermo in intimos cordis recessus sese insinuet, auditoremq;, quò velit, flectat. Educere Hebræum ex Ægypto, vt sicco vestigio per seculi huius Oceanum tot tempestatibus obnoxium, ad terram promissionis rectà contendat, opus est

non hominis, sed Altissimi. Hinc fit, vt ex multis millibus discipulorum, qui Iesuitarum gymnasia obeunt, iisdemque præceptoribus dant operam, vix quinquaginta Religionis iugum subeant, & ij plerumq; ex eorum numero, qui mundi blandimentis magis irretiuntur, & de quorum conuersione spes minor erat, quia spiritus diuinus efficaces illis stimulos sub pectore vertit: alij foris remanent, vel quia Deus illis aliam viam ad cælum præparauit, si diuinę gratię nõ sint ingrati; vel quia ipsi fortè diuinę vocationi resistunt, potiùs eligentes subdi iugo Ægypti propter cepas, quàm in desertum ire, vt manducent manna. Quæ, oro, eloquentia absq; isto spiritu diuino, & quæ verborum machina permouere potuisset, Thomam Aquinatem, & Bernardum Burgundum, nobiles, ex illustri familia iuuenes, delicatos, & in deliciis à puero educatos? Quis infinitos alios & nostrę & superioris memorię adolescentes, domi nobiles, opibus pollentes & florentes, omniq; rerum copia affluentes eò impulisset; vt ex mundi laqueis sese eriperent, & à voluptatibus ad corporis castigationem, à lautis epulis ad ieiunia, à libertate ad obedientię iugum, à carnis oblectamẽtis ad castitatem, ex omnium rerum abundantia ad inopiam, & ab honoribus ad crucem & ignominiam sese transferrent: Quis, inquam, omnes eò impellere potuisset, nisi diuinus ille, dicendiq; potens orator?

Cur multi à Religioso statu desciscant.

Cur ergo, dixerit fortè quispiam, tam multi à Religione deficiunt, si vocatio ad Religionem à Deo proficiscitur? In promptu est ratio. Quia, postquam vocati sunt, non ambulant conuenienter suę vocationi: Vocatum esse ad Christianismum, donum est cæleste; *nemo*, inquit Christus Dominus noster, *venit ad me, nisi pater meus traxerit eum*: Nihilominùs tamen multi Christiani desciscunt ad Turcas, Iudæos, & ad improbitatem, tandemq; pereunt. Iudas sanctè

Ioan. 6.

vocatus

vocatus ad Apostolatum venit, & tamen laqueo tanquam impius vitam finiuit. Sic Deus, multos quidem ad Religionis portum vocat, sed inter illos non paucos reperies, qui se ideo vocatos credant, vt in Religione sine Religione viuant: at non decet quempiam hoc consilio vel Religiosum vel Christianum fieri: cooperari oportet gratię vocationis, & in ea progredi, vt adipiscamur coronam. Hinc S. Petrus omnes Christianos monet: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, hoc est, cooperemini primę gratię, quam nullo vestro merito acquisiuistis, & Deus dabit vobis donum perseuerantię, labore vestro motus, etiamsi donum non ponderet. Deus educit suos ex Ægypto manu forti & valida: sed eductis pugnandum est in deserto, & progrediendum ad terram promissionis. Si igitur multi manum ad aratrum mittentes retrò respiciunt, fidemq; datam fallunt; fit hoc, non vitio vocationis, & ingressus, sed culpâ mali progressus: Intrant per portam à Deo vocati, & per fenestram se deiiciunt, impulsi à diabolo. Sed reuertamur ad eos, qui se Iesuitis adiungunt. 2. Petr. 1.

CAPVT XLIX.

Homines Societatis in perpetua probatione viuere.

POstquam tirocinium subeunt, & inter nouitios nomen suum profitentur, re ipsa experiuntur illa quę suprà Societatem petentibus proponi diximus, nec sine insigni additamento: probantur enim, modisq; variis examinantur, & omni spiritualis exercitationis genere excoluntur; vt, quo spiritu sint, exploretur, vtq; simul præparentur & armentur, ad alacriter stadium perfectionis decurrendum, & ad animarum salutem

procurandam, cui negociationi cùm ipse Dei filius in terris versatus, tam diligenter vacauerit, perspicuè ostendit, eâ, nullam actionem præstantiorem & nobiliorem, vel ab Angelis, vel ab hominibus posse suscipi. Probationis tempore exacto, votis sese Deo obstringunt, siquidem Superioribus satis se suamq; indolem probauerint, fiuntq; Religiosi & membra Societatis. Tirocinio egressi, si literas norint, aut docent, aut discunt, cursumq; Philosophiæ & tùm Theologiæ incipiunt (nisi anteà his disciplinis fuerint exculti) in quo octo nouemué annos ponunt, & tum demùm tertium probationis annum auspicantur; vt si fortè ex literariis occupationibus tam diuturnis aliquid de primæuo spiritus feruore deperiisset, illud resarciatur & reparetur. Deinceps rursus periculum variis officiis & experimentis de illis sumitur, nulla certa temporis meta præstituta; idq; eo fine, vt ad vota publica præparentur, vel ad professionem, eamque vel trium, vel quatuor votorum (quod quartum votum bilem tibi tantopere mouet) ad quam professionem ex præscripto Constitutionum, nulli admittuntur, nisi ea doctrina & virtute præditi sint; vt à Sede Apostolica, aliisque Ecclesiæ Præsulibus & Principibus Christianis mitti possint in varias & longinquas regiones; operam daturi cõuertendis ad Religionem Christianam ethnicis & infidelibus, oppugnandis & expugnandis hæreticis, vitiis euellendis, virtutibusq; serendis & plantandis; pietatis exemplo morumq; innocentia, eruditione, colloquiis priuatis & cõgressibus familiaribus, disputationibus, lectionibus, concionibus, confessionibus, & libris scriptis. Quare minimè mirandum est, si tanto temporis spatio antè probentur, quàm professionem edant: nam ad huiusce modi functiones obeundas, & ad tantum ponderis sustinendum, accedere oportet homines spectatæ probitatis & eruditionis, qui

Quales professi quatuor uotorum.

& suo

& suo & aliorum bono, versari & agere didicerint, cum tam diuersis hominum generibus, cum nobilibus & ignobilibus; doctis, indoctis; senibus & iuuenibus; Christianis, infidelibus; probis, improbis; Catholicis, hæreticis; sanis, ægrotis; in carceribus, in Xenodochiis; terra mariq; domi & foris; in vrbe & rure. Requiritur autem, vt quis tractandis tam diuersis hominum ingeniis, scenę velut seruiat, stilumq; sæpè vertat, exemplo Apostoli, *qui omnia omnibus factus est, vt omnes saluos faceret.* Modus igitur agendi mutandus est pro varietate ingeniorum, locorum, ætatis, status, & conditionis, ne quisquam subsidio, & salutari ope destituatur: imitandi enim sunt industrij Medici, quibus hoc nõ modò familiare, sed & proprium. 1. Cor 9o.

Porro, si tempore nouitiatus animaduertatur, ineptos fore ad militiam spiritualem, eò, vnde venerunt, remittuntur: quod si iam in Collegiis, vel studiis, vel aliis occupationibus destinati, paulatim propositi immemores intepescant, si regrediantur, cùm progrediendum sit; tum monentur, excitantur, & quoquo modo licet extimulantur, non vno, sed pluribus annis: si spes emendationis nulla restet, ense reciduntur, vt vulnus immedicabile, ne pars sincera trahatur, & exauctorantur, concessa missione: nam ordinarium carcerem, præter portam, habent nullum: quamuis ipsis etiam, vt & aliis Religiosis, carceris vsus minimè sit negatus; sed malunt iuxta priuilegia à Sede Apostolica sibi concessa expurgare Societatis corpus expulsione eiuscemodi sordium, ipsarum etiam rerum naturalium exemplo, quàm retentione non modò putredini, sed & contagioni latiùs propagandę caussam dare; præsertim cùm experientia compertum sit, huius farinę socios, vix vnquam ita persanari, vt nihil de morbo reliquum maneat. Accedit, quòd ratio hæc tutior & conducibilior sit bono communi totiùs Religio- *Cur ex Societate nonnulli dimittantur & qui.*

nis: minus enim sceleris perpetrat is, qui dimittitur, si se solum in mundu perdat, quàm si in Religione alios quoq; in idem exitium præcipitet; longè etiam difficilius, quàm alijs ordinibus, ab hominum consortio magis abstractis, & longè molestius esset Societati (quæ quanta quanta, diuino obsequio & vtilitati publicę sacra & dicata est) si huiusmodi refractarios & peruicaces perpetuò asseruare & custodire cogeretur, tanquam feras siluestres in cauea, & duos trésue illorum ministerio addicere: quod non fieret absq; notabili detrimento caussę publicę, & salutis animarũ, cui intereà promouendę insistere possent.

CAPVT L.

Refelluntur mendacia quædam Arnaldi.

EX his, quę hactenus disserui, refelluntur duo mẽdacia, quę tibi hîc seu prudenti seu imprudenti exciderunt: Alterum est. *Votum paupertatis nunquam emitti, nisi omni spe successionis ablata:* emittitur enim biennio absoluto, vt suprà notauimus. Quòd si non obstante hoc voto paupertatis, plures annos aliquando retinet bonorum suorum dominium permissu Superioris, capacesq; manent successionis, ne offendaris, nec propterea à Iesuitas *auaros* nomines. Nam ista abdicationis dilatio & procrastinatio, non cedit in emolumentum Societatis, sed subditorum. Nam si fortè iustas ob caussas ex Societatis albo expungantur, vi priuilegiorum, quę Societas à Pontificibus impetrauit, paternas opes, vnde vitam tolerent, repetunt, nulla rei familiaris iactura. At, si voto paupertatis omni bonorum temporalium possessione decidissent; necesse esset, aut in medicitate & perpetua egestate vitam transigere,

Nauar. de Reg.

gere, aut in Societate remanere, non modò cum incommodo & præiudicio illius; sed etiam cum propriæ valetudinis, & aliquando æternę salutis dispendio.

Obiicies, hoc esse nouum viuendi institutum, iurisq; noui. Non inficior, *nouum esse & admirabile*, ait ille Canonum peritissimus & consultissimus Nauarrus. Iure etiam nouo simplex castitatis votum editum à Societatis hominibus impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: sed ius non desinit esse ius, etiamsi nouum sit, cùm sit factum à Principe & capite Ecclesię, qui & illud condidit, quo alię Religiones gaudent & nituntur, & quidquid in voluminibus Iuris comprehenditur. Nouitas non tollit naturam rei: hinc vuę recentes æquè sunt vuę atque illę ex vinea, quam plantauit Noë. Omne Ius initio fuit nouum, nec propterea Iuris essentiam amisit, post mille & sexcentos annos istud erit antiquius, quàm modò sint Canones Apostolorum, qui tam noui erant ante quingentos & mille annos, quàm modò istud. Loc. cit.

Alterum mendacium, quod ex supradictis refutatum manet, illud est, cùm ais, *Iesuitas exauctorare quandoq; diuturnis laboribus confectos.* Quemadmodum enim non retinentur spe hæreditatis: ita neq; dimittuntur ob senectam, imbecillitatem, ægritudinem, vel ob Collegij inopiam; sed alias ob causas: alioqui tandem omnes, qui professionem fecerunt, Sacramento præstito exsoluendi essent, tunc videlicet, cùm omnium opum possessione sese abdicassent; neq; recipiendi, nisi quibus res lauta domi suppeteret. Quod tamen Iesuitę minimè faciunt. Quòd si quispiam omnino sit insanabilis, & omnis medicinę impatiens, iure luit tandem contumacię suę pœnas, & Societas meritò etiam iure suo vtitur, quod tamen non nisi parcè & rarò facit, nec sine Generalis consensu, & quoad licet, æqui boniq; consulentibus illis, quibus

quibus abeundum, quos aliquando decem imò viginti integros annos Societas tolerat; vt videat, num melioris alicuius frugis spes affulgeat: adeò inuita ad hoc extremum & vtcunq; asperum medicamentum descendit: tamq; amans est salutis illorum itidem hominum, ex quorum conuictu & conuersatione parum emolumenti, imò multum detrimenti quandoq; capit. Quamobrem idem semper & vbiq; es in Iesuitas, improbus videlicet criminator & sycophanta: homines enim, tuo iudicio, seducunt & fascinant, & in Societatem admittendo, & in eadem retinendo, & ex eadem dimittendo.

Societas neminem temere dimittit.

CAPVT LI.

Quo iure aliquis possit à votis absolui & dimitti.

AErumenimuerò fortasis aliquis te acutior & intelligentior scisscitabitur, qua conscientia dimitti & absolui queant, qui semel vota Religionis emiserunt, cùm istud votum videatur iure diuino obligare, cuius vinculi nodum solus Deus, vt supremus omnium rerum Dominus expedire & dissoluere valeat. Respondeo, obligationem votorum pendere ex mente vouentis: Si quis voueat ciborum delectum more Carthusianorum, eorundem more à cibis abstinere debebit, & non vt aliorum Ordinum Religiosi, quibus alia abstinendi & ieiunandi consuetudo. Qui vota Deo in hac Societate nuncupat, id facit conuenienter voluntati & Constitutionibus Societatis: at mens & intentio Societatis hæc est, vt tamdiu votis suis obstricti maneant, quamdiu iusta caussa non erit, soluendi illos votorum religione & nexu. Quare qui ita obligatur, nulla iniuria afficitur, si aut promissis stare vi adigatur,

adigatur, aut eijciatur iam depositus & deploratus: nam tali conditione venit: & *volenti non fit iniuria*: & ille, qui sine facultate aufugit, est apostata, grauissimiq; peccati reus: at qui abit iussu & mandato Generalis, iudicantis, satiùs esse, vt talis in seculo degat, vel ob corporis imbecillitatem, vel parentum subleuandam inopiam, publicumue bonum, vel ob aliam rationi consentaneam caussam; is liber, & à votorum vinculis expeditus manet. Sed vt hoc Iesuitarum institutum conuellas, opponis, *contractus debere esse reciprocos*, ex quo infers, *debere liberum relinqui discessum subditis, sicut Generali libera est dimittendi potestas.* L. Labeo. ff. de uerb. signif.

Verùm facilis est responsio. Si enim cuiuis arbitratu suo integrum esset Societati valedicere, non complecteretur Religiosos, sed pensionarios, iniquissima prorsus conditione. Nam postquam diuturno tempore, magnisq; sumptibus eos aluisset, educasset, & instituisset in literis; periculũ esset, ne postea derepentè & hominum & facultatum subsidio orbaretur; nec de cuiusquam manendi vel abeundi voluntate quicquam certi statuere posset. Num tu hac lege conuictores reciperes? Deinde respondeo, tuam illam *Maximam* intelligi de voluntatibus, quando iam inibi res est, vt contractus ineatur: Eo enim temporis puncto oportet, vt vtrinque æqualiter, & vt sic dixerim, reciprocè sint liberæ, vt vel progredi vel regredi possint, qualis reciprocatio hîc etiam reperitur. Nam Nouitius biennium in domo probationis ponit, pietatis exercitationi, & rerum cœlestium meditationi intentus; hoc temporis spatio liberam habet potestatem siue discedendi, etiam inuito Superiore, siue votis sese obstringendi, consentiente Superiore: Vice versa, liberam potestatem habet Superior, illum dimittendi, etiam inuitum, si ineptum ad Societatem iudicet; aut retinendi, non tamen sine illius consensu & nutu, si arbitretur aptum.

At si velis in omni omnino contractu inesse debere illam, quam tu significas obligationem, valde hallucinaris, nesciens quid dicas. Nam Iurisperiti & experientia docent, esse aliquos, qui non vtrinque & reciprocè, sed altera tantùm ex parte, obligationis vinculo teneantur: & vt Lex ait: *Sicuti liberum est mandatum non suscipere: ita susceptum consumari oportet, nisi renunciatum sit. Renunciari autem ita potest, vt integrũ ius mandatori reseruetur.* Pari igitur iure liberum est, nuncupare vota Religionis in Societate; sed vbi semel edita sunt, resilire ius fasq; vetant, licèt penes Societatem ius sit & arbitrium absoluendi à votis, si causa iusta suppetat. Et hoc ius non modò concessum, sed & sæpiùs confirmatum est Societati à Christi Vicario; cui potestas condendi, rogandi, & promulgandi leges Ecclesiasticas, non secùs ac Principi politico ciuiles. Et licèt huiusmodi ius non sit commune omnibus Religionibus; non ideò tamen legi diuinę repugnat: nam vt votorum nuncupatio & vinculum æqualiter omnes obligans, iuris est diuini: ita vota edita hac vel illa conditione & circumstantia proficiscuntur à Iure positiuo, quod in variis Religionibus, varium esse potest, accedente auctoritate & approbatione Summi Pontificis: semper tamen & vbiq; sanctum & rectum est. Nam Summus Ecclesię Pastor tam ius antiquum in antiquis Religiosorum familiis, quàm hoc nouum in hac recens inita Iesuitarum Societate, condidit, non sine multis aliis priuilegiis & immunitatibus pro varietate temporum & ordinum necessariis.

L. Iulia. ff. de act. Empti. & uendit.

Satis superq; ex his, quæ hucusq; disseruimus, intelligere posses, si sanæ mentis & integri cerebri esses, Iesuitas immunes esse ab illo crimine, cuius abs te insimulantur, neq; iuuentutem dolis & technis ad suum Ordinem pellicere, neq; cùm admittunt, neq; cùm retinent, neq; cùm quempiam dimittunt,

dimittunt, iniuriam irrogare: sed quia simul cum humanitate sensum omnem amisisti, teipsum in hunc labyrinthum imprudens coniecisti, & has pedicas tibi nexuisti perspicuo argumento, quòd sis calumniandi & obloquendi perquàm cupidus; Ere tua erat silentio calumnias præterire, nominatim illam, quę institutionem iuuentutis petit: nimis enim aperta est, & tibi admodum ignominiosa. Iesuitę hac in re nimium excellunt, eorum etiam opinione, qui illis maximè aduersantur. Quare, quid quæso, criminationibus tuis proficies? Ne hilum quidem, crede mihi: debebas potiùs, si cor habuisses, operam, quam Iesuitę iuuentuti bonis literis expoliendę nauāt, summis laudibus efferre, magnamq; tibi iusti viri opinionem conciliasset testimonium veritatis aduersariis tuis datum: tribuisses enim Iesuitis id, quod ipsis concordibus omnium suffragiis debetur. Nimis intoleranda & nefaria calumnia est, tanta verborum asperitate Iesuitas, quasi iuuentutis corruptores & seductores exagitare: conuerso enim stilo, non modò eos laudare, sed & ætatis nostrę iuuentutem beatam prædicare oportebat, quod Prę-ceptores doctrina & pietate præstantes nacta (quo vix quidquam melius homini acidit, vt sapientissimi quiq; iudicant) tanto cum profectu ad literariam laudem & lauream tendere possit. Nam si optabile est nasci honestis parentibus; magis expetendum est, in egregios Magistros incidere, cùm ingenij educatio & formatio sit quædam generatio, eò præstantior, quò anima nobilior corpore, virtutesque, quas Præceptor tradit, præstantiores bonis caducis, quę à parentibus accipimus. Hinc Philippus Rex Macedonum filium suū Alexandrum felicem prædicabat, non quòd Rege natus esset, sed quòd tempore Aristotelis, quodq; illo Præceptore vti liceret. Institutione & sapientia suorum Magistrorum euaserunt olim plurimi togę belliq; artibus & laudibus

laudibus illustrissimi. Pericles quidem præceptis & institutis Anaxagoræ: Alcibiades & Crito Socratis: Agesilaus Xenophontis: Philelas Archytæ: Dionysius Syracusanus Platonis: Traianus Plutarchi, & alij aliorum. Verùm vt improbitas & cœca mentiendi temeritas, quę te ad dicendum & scribendum, & ad institutum Ecclesię Catholicę fructuosissimum conuellendum impulit, magis eluceſcat; operæpretium arbitor, paucis adhuc demonstrare, Iesuitas non tantùm non esse iuuentutis corruptores, vt tu dicis, sed optimos Præceptores, vt omnes probi sentiunt.

CAPVT LII.

Notæ boni Præceptoris.

QVatuor his ornamentis prædítum esse oportet Præceptorem bonum & probatum: *Scientia, docendi methodo, diligentia, & pietate*, quę trium præcedentium decus est, & pretiosum monile. Scientia planè illi necessaria est: nam quomodo scientiam dabit, si non habeat? *Nemo dat, quod non habet*, ait Lex, & tuus Bartholus, suffragante experientia: & quēadmodum ignorantia omnium vitiorum fons est, ita scientia lux quædam est, quę ad virtutis iter facem præfert: De coloribus nescit disputare cœcus, neq; alium erudire. Cæterùm, num hoc primo ornamento Iesuitę sint condecorati, certiùs & clariùs non cognoscetur, vt arbitror, quàm ex prælectionibus quotidianis & ex monumentis tam de Theologia Scholastica & positiua, quàm de Philosophia, Mathematica, Eloquentia, Poesi, Gramatica, recenti etiamnū Societate publicatis.

L. Traditio ff. de acq. rerum Dom. L. si uniuersæ, C. de uerb. sign.

Sequitur methodus, ars, via & ratio tradendi disciplinas,

has, cuiuis Magistro cumprimis necessaria, sine qua omnis doctrina chaos est, & rudis indigestaq; moles; & schola tẽporis inaniter transmissi amissio. Hac ordinis & methodi laude florent præ aliis Iesuitarum scholę, vt nonnullis exemplis hîc declarabo. Nam primùm Præfectus studiorum, postquam accuratissimo examine singulorum profectus explorauit, cuiuis classem & stationem ingenio & eruditioni conuenientem designat, in qua liber scriptoruẽ nullus explicatur, qui auditorum captum exsuperet. Deinde Magister eodem docendi modo & ordine discipulos erudit; neque vires ingenij duntaxat, sed & naturalem cuiuslibet cõstitutionem & affectionem sedulò inuestigat; vt hac cognita, expeditiùs & maiori cum emolumento, cuilibet liberalium artium cognitionem instillet, in eo etiam maximè elaborans, vt discipuli humanitate potiùs ducantur & beneuolentia, quàm formidine pœnę.

Ordo & ratio docẽtur in scholis Iesuitarum.

Philosophi & Theologi, quotidiè suo quiq; in auditorio disputant, lectionesq; auditas repetunt: quod Sabbatis singularum hebdomadum accuratiùs, & maiori cum apparatu fieri solet. Nec omittuntur disputationes & concertationes menstruę, Præceptoribus discipulisq; omnibus vnum in locum coactis, pugnam vel spectantibus, vel adiuuantibus. Quod genus certaminis aliis item anni temporibus initur & suscipitur, præsertim quando vel Philosophię vel Theologię Doctores inaugurantur, debitisque honoribus insigniuntur. Paruulos, & qui tenerioris adhuc indolis sæpiùs in singulos dies committit Præceptor ad prælium, idq; in omnibus politioris literaturę classibus, ne infima quidem excluſa: Victor præmiolum reportat, vel locum potiorem & dignitatem commilitonis deuicti. Est autem spectaculũ visu iucundissimum, coràm intueri puerulos tantillos angusto in pectore tam augustos spiritus versantes, & tanto a-

nimorum ardore conflictum hunc ingredientes; vt non modò de fama & gloria, sed & de integro regno agi videatur. Quolibet mense componunt Orationes, epistolas, poëmata, & id genus alia, quibus diligentię & profectus documẽtis classium Magistratus petunt & ambiunt. neq; enim ambitus hic lege interdictus. Et quid inausum, intentatúmue relinquunt, quosq; calamos ex theca non depromunt, vt vel Cæsaris, vel Regis, vel Prætoris, vel Consulis munus adipiscantur? His exercitationibus adiunguntur crebrę declamationes priuatę & publicę, nec non Comœdię, & omnis generis Dramata, argumenti non ludicri, sed grauis semper & eruditi.

Diligentia, tertia boni Magistri nota.

Nec carent Iesuitę diligentia, tertio boni Præceptoris ornamento, sine quo cæteris non multùm roboris aut ponderis inest: nam neq; domi, cùm lectio paranda, tempus inutiliter terunt, neq; in gymnasio vllum laborem refugiunt. Dato signo, vel à classe, vel ad classem id quod instat agendum sine cunctatione agunt, non secùs ac milites, cùm tubę cantu, vel ad pugnam, vel à pugna vocantur: Vidimus sæpè seculares, quibus vsi sumus Præceptoribus, bonam temporis partem dare deambulationi in area vel porticu Collegij, antequam gymnasium ingrederentur, ingressosq; mox dicendi simul & docendi finem facere, & aliquando tota illa lectioni præstituta hora mutos esse. Quod apud Iesuitas nunquam contigit, quod sciam, & tamen plus quàm 25. annos cum illis familiariter versor. Porrò quemadmodum ipsi domi forisq; diligentes sunt & industrij: ita etiam diligentes & industrios requirunt discipulos: hinc quotidiè sedulò ab vnoquoque officij rationem reposcunt, & si quem segniorem & remissiorem deprehendunt, ratio officij neglecti reddenda est: si nulla suppetat, mulctatur semel atq; iterum leniùs & leuiùs, tertia vice periclitatur corium, ne vlmis lorisq; conscribatur.

CAP.

CAPVT LIII.

De pietate quarta boni Magistri nota.

RESTAT pietas, quarta conditio & nota veri & probati Magistri, princeps cæterarum, quę sola multum prodesse, & sine qua reliquę multum obesse possunt: hæc sola tribus aliis licèt non perfectissimis addita reddit hominem ad omnia idoneum; alię ab hac abiunctę, eò sunt pernicioſiores, quò perfectiores: Hominem enim doctrina valdè præstantem fastu & inani quodam typho valde inflant, & ad quoduis improbitatis genus exstimulant: quod, quid aliud est, quàm malo quodam genio afflari, dum eiusmodi homo vt doctrina, ita etiam arrogantia & malitia excellit? Veri Christiani inprimis & ante omnia in hanc curam incubuerunt, vt iuuentus instituereturin pietate, quę totius doctrinę Christianę perfectio & finis est: quod neq; ethnicos fugit. Nam licèt vmbram tantum verę pietatis viderent, tenebris naturę deprauatę præpediti, animaduerterunt tamen pietatem in educatione & institutione iuuētutis primas tenere. Hinc illud Ciceronis: *Erat eadem doctrina rectè faciendi, & bene vi-* Cic. de orat.
uendi atque dicendi: qualis apud Homerum senex iuueni datus, vt e-
um Oratorem efficeret, & bonarum rerum auctorem. Et Quintilia- Lib. 1. c. 1.
nus existimauit, hanc rem tanti esse momenti, vt etiam velit nutrices, quæ nihil præter lac infantibus tribuunt, optimas eligi, quantum res patitur, quę neque verbum turpe proferant, ne paulatim in animas tenellas tenacissimas eorū, quæ rudibus annis percepêre, vitii aliquid illabatur: Multò magis necessarius est adolescenti Magister & institutor morū & vitæ innocentia & integritate spectatus. Nam cùm mens adolescentis tenera, ad vitium & ad virtutem cerea sit, flexuque

xuq; facilis, & vtriusque seminibus accipiendis exposita: cumque adolescens nõ modò credat, omnia Magistri mandata promptè & alacriter exhaurienda esse, sed honori etiam sibi ducat, si imitetur dicta & facta illius, quem patris instar colit, imò cuius auctoritatem magis reueretur, quàm parentum: ideò recta iuuentutis institutio tanta verborum energia in omni bene instituta Repub. à sapientissimis viris semper commendata fuit.

Vt autem ostendam Iesuitas tanquam legitimos Præceptores pietatis ornamento non carere, paucis docebo, quibusnam modis tenerioris ætatis animos ad pietatem informent.

Primus modus docendi pietatem,

Primus modus consistit in statis præfinitisq; precibus, & in frequenti Sacramentorum Altaris & Pœnitentię vsu: nã quolibet mense quiuis studiosus minimùm semel cõfitetur, quotidie Missæ Sacrificio reuerenter adsistit, & celebrioribus festis ad sacram Synaxin accedit, quibuscunque id per ætatem permittitur. Principio lectionum oratur Deus, expresso in frontibus signo Crucis: absolutis lectionibus aguntur Deo gratiæ. Docentur reuerentiam & honorem erga Sanctos, præcipuè Diuam virginem, Dei matrem, cuius nomine & patrocinio ineuntur Sodalitates, tibi & Ministris tuis adeò inuisæ, vt Deus in Diua Virgine, maiori religionis cultu honoretur: quibus exercitationibus nõ modò magnos in pietate progressus faciũt, sed etiam in literis. Nam qui animam à vitiis expurgatam, Deoq; vero lumini, veræq; Sapientiæ coniunctam habent; magis illustrantur, & tam ad intelligendum, quàm ad ea, quæ intellecta sunt, firma memoria complectẽdum aptiores efficiuntur. Quid, quod ipsâ experientiâ compertum est, pares ingenio & diligentia, & in eadem classe & palæstra exerceri solitos, impares progressus facere, magisque pios semper eruditionis palmam

palmam ferre? Neque facilè proficient in literis pietatis osores, vitiisq; inquinati, cùm verissimum sit illud Sapientis oraculum: *In maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1.

Obiectio Arnaldi.

Sed hîc obiiciet Arnaldus noster, hoc esse Iesuitarum commentum, vt iuuentutem *Hispanizent*, seu *Hispanismo* inficiant; & tanquam hæreticus adiunget, *hoc nihil aliud esse, quàm eandem inuentutem magicis carminibus dementare & seducere, bonumq; factum fore, si Iesuitæ ex Gallia præcipites eiiciantur, ut pariter etiam istæ Sodalitates exterminentur*, quod sub finem suę Inuectiuę Senatusconsulto decerni optauit: Sed vt non mirum, si corui crocitent, & cardui pungant; ita mirandum non est, si Arnaldus *arnaldet*, hoc est, si mendax mentiatur, in hoc enim ars & natura illius sita est; sufficit, si Arnaldo non adhibeatur fides, certoq; statuatur modum, quem tradendę pietatis Iesuitæ obseruant, nõ esse Iesuitarum figmentum, sed iam olim in scholis receptum & approbatum morem, & à Iesuitis in suis Collegiis renouatum: & quamuis huius consuetudinis Iesuitæ auctores essent; ipsa tamen temporum necessitas & corruptela nos ad illam obuiis vlnis recipiendam compelleret, cùm adeò conformis sit diuinę legi, quę mandat, vt puer timorem Domini ante omnia edoceatur. Adde, longo vsu perspicuè testatum fieri omnibus iis locis, vbi Collegia ædificata, quantum vtilitatis omni hominum generi, potissimùm iuuentuti ista Sacramentorum frequentatio, virtutisq; exercitatio adferat. Diuione agebam M. D. Lxxxij. erecto iam Iesuitarum Collegio. Isthic videbam parentes, vt sunt in Deum religione eximij, admiratione simul & lætitia plenos, quod tam exiguo tempore tantam morum mutationem in suis liberis notarent, idq; vi & efficacia exercitationum piarum, de quibus hactenus locuti sumus. Neque ab huius vrbis testimonio

Sacræ literæ cõmendant institutionem iuuẽtutis in timore Domini passim præcipuè Eccle. 30. Vide Cõc. Trid. sess. 23. c. 18.

dissentient aliarum ciuitatum indigenæ.

Secundus modus docendæ pietatis.

Secundus modus, quem obseruant in recta institutione ad pietatem, est errorum correctio, eorum præcipuè, qui à malitia: Deinde doctrina Christiana, quam semel quot hebdomadibus explicant, item lectiones, quas in suis templis habent, & exortationes in classibus aliquoties quouis anno. Neque inter docendum prætermittunt occasionem, quando se offert, redarguendi errores & vitia improborum & flagitiosorum hominum, demonstrandiq; præstantiam & veritatem religionis Catholicæ. Post timorẽ Dei, cultumq; Deo debitum, & venerationem cælitum instillant tenellis istis ingeniis amorem, & obedientiam, quam debent superioribus spiritualibus & temporalibus, pastoribus, patribus, parentibus, benefactoribus, & maximè Principibus supremis & Magistratibus; constatque luce clariùs, Regum, Principum, procerũ & Rerumpub. imperatis & monitis nullos obsequentiores & magis morigeros inueniri, quàm qui ex Iesuitarum disciplina prodeunt, si ab aliis nõ peruertantur, neque aliorsum abripiantur. Quo factum est, vt nullum sit regnum, Principatus & Respub. Catholica in Europa, vbi non fuerint fundata Collegia, recepta & approbata à Regibus & Magistratibus, ad quæ Collegia ipsimet Principes & Reipub. primores, semper miserunt suos liberos, & florem nobilitatis, vt isthic erudirentur, non tantùm pietate, sed etiam virtute politica seu ciuili.

CAPVT LIV.

Quanti fecerint Reges Galliæ, & alii Principes Iesuitarum laborem & operam.

FEcit hoc ex numero Regum Galliæ Carolus IX. Rex, qui vnum ex intimis suis familiaribus, quem charissimum habebat, ad Collegium Parisiense literis bonisq; mori-

moribus instituendum, anno M. D. Lxviij. misit, qui non longo temporis interuallo tantos progressus fecit in modestia, & parendi, maioribusque morem gerendi studio; vt Rex, illo ex Collegij disciplina anno M. D. Lxx. educto & euocato, dixerit; Iesuitas non tantùm in cathedra peritos esse Doctores explanandi liberalium artium honestissimas disciplinas, sed etiam egregios magistros formandæ, & ad virtutem instituendę nobilitatis.

Idem experimento didicerunt Gallię Principes, Regniq; Optimates, quibus iampridem vsitatum, filios, consanguineos, vel affines suos, tam Parisiensi, quàm aliis Gallię Collegiis, erudiendos committere, ita, vt aliquando tres quatuorue Principes, & quadringenti Nobiles ex præcipua Regni nobilitate vno in Collegio habitârint. Nihil dicam, quid aliis orbis terrarum locis Reges & Principes agant, tacitusq; præteribo florem illum nobilitatis, qui sub Iesuitarum disciplina ad omnem laudem efflorescit, in Polonia, Bohemia, Germania, Italia, Flandria, Lusitania, & Hispania, quam extremo loco posui, ne tibi mouerem stomachum. Nec verbum faciam de amore, quo Principes, Nobiles, & Magistratus Iesuitas complectuntur ex eo tempore, quo eos penitiùs cognouerunt, libensq; silebo etiam insignem illam vtilitatem, quam regionibus illis Iesuitæ pariunt: mihi satis est de Gallia nostra dicere, & quidem si diuino beneficio Carolo Regi lucis vsura diuturnior obuenisset, reipsa erectis passim Collegiis, quæ iam animo designauerat, ostendisset; se vnicum Iesuitarum Collegium pluris facere, & pro Religionis & pro Regni amplificatione, quàm omnium munitissimam totius mundi arcem, seq; Iesuitas & pro subditis fidelissimis agnoscere, huiusq; Societatis incrementum ad gloriã quoque & maiestatẽ Regni & populi Gallicani pertinere: quod non ignorarunt supremæ Regni Curiæ & alij Regis ministri

Caroli IX. de Iesuitis opinio.

nistri, dum hac ipsa de caussa Societatẽ paternè semper sibi defendendam putarunt; cui opinioni & in Iesuitas amori cõuenienter Dominus *du Sault*, Aduocatus generalis in Senatu Burdegalensi, cùm à quodam interrogaretur, cur tanto studio Societatis patrocinium susciperet: *Quia*, inquit, *defendo caussam Domini mei, & eiusdem commoda ampliora reddo.*

Beneuolẽtia regis Henrici in Iesuitas.

Rex item, qui nuper vita functus, non minùs Iesuitas fouebat, quod in Polonia abundè declarauit, exiguo illo tempore, quo ibi vixit, Iesuitarum operâ familiarissimè vsus, etiam eius quem tu à mortuis excitasti; vt fictitiam quandam epistolam in Hispaniam ferret, P. Claudii Matthæi, ita, vt tertio loco à se currum seu essedum regium conscendere iuberet, & adhuc familiariùs vtebatur Edmondo Augerio; nec voluit, vt Dominus Carolus, qui iam est Comes Aruerniæ, educaretur in alio Collegio Parisiis, quàm in Collegio Iesuitarum, in quo etiam Seminarium scholasticorum erexit, qui vocabantur *pauperes Regis*. Interuenit tamen ad extremum non parum incommodi: nam proiecto in Regnum hoc non ab Eride, sed potiùs à Dæmone suspicionum, discordiarum & calumniarum pomo, facta est mutatio & inclinatio voluntatum, quæ suaue pacis nectar nobis non attulit, sed acerbissimum illud acetum, Martisq; fel, quo nunc potamur; & nisi Deus nostri misereatur, adhuc potabimur. In hoc acetum & fel Caluini veneno mixtum intinxisti calamum & linguam tuam Arnalde, vt virulentissimis tuis calumniis Iesuitarum nomen & existimationem extingueres; qui tamen vel ob vtilitates, quas in Gallicanam Rempub. conferunt, omnium præconiis & encomiis dignissimi meritò ab omnibus æquis rerum æstimatoribus iudicantur. Sed cùm à te degenerare, aliamq; naturã induere nequeas, haud mirandum est, te ingenio tuo consentanea protulisse.

Præter virtutes suprà recensitas, sedulò commendant Iesuitæ

Iesuitę auditoribus suis modestiam & temperantiam, & prę cæteris humilitatem castitatis matrem, fundamentum & firmamentum omnium virtutum Christianarum, illiq; ætati & statui cumprimis necessariam. Nihil enim recti honestiq; limites citiùs transcendit, nihil celeriùs obliuione suiipsius capitur, quàm iuuentus, meliori sanguine præferuida, consilii expers, affectionum & perturbationum æstu tumida: nec quidquam animum magis inflat, & cornua erigit, ex Apostoli sententia, *quàm scientia*, vel potiùs inanis quædam scientiæ opinio, quæ vel ex modico literarum gustu existit: neq; reperies, quod corpus magis mergat, quàm spiritus arrogantiæ vento elatus. At Iesuitę iuuentutem ad erroris huius cubilia & intima penetralia deducunt; demonstrãt enim, omnem huius generis fastum & elationem aliunde nõ proficisci, quàm ex animo abiecto, etiamsi primo aspectu grande quid præ se ferre videatur; nec aliud esse, quàm tumorem quendam fœmineum, & bullę instar euanescere solitũ, natum ex anima, spiritus diuini, iudicij & experientię vacua. Docent etiam, humilitatem animi infracti & excelsi nõ modò testem, sed & comitem esse; ac proinde illam exemplo & auctoritate filii Dei, Regis Regum suadent, vt legitimam sobolem veræ scientiæ, sicut è contrario arrogantia filia primogenita ignorantiæ meritò appellatur. Nam vera scientia homini verè proponit & id, quod scit, & id, quod nescit: alioqui, non faceret verè scientem. Qui ergo id, quod nescit, vno quasi intuitu intuetur; is clarè videt, ignorantiam suam esse velut montem; scientiam, tanquam granum milij; seq; vbi rem aliquam scit, infinitas ignorare, thesaurumque scientiæ suæ admodum exiguum esse; quamuis vario rerum apparatu egregiè sit instructus. Ex hac cognitione sui discit quis, suis verisq; se præciis æstimare, suamque tenuitatem & imbecillitatem agnoscere, licèt fortasis

aliorum iudicio habeatur valde eruditus. Ignorantia porrò suiipsius, mater est arrogantiæ. His & similibus modis demonstrant Iesuitæ caput & originem virtutis huius & vitii: Illius quidem, vt appetatur: huius, vt fugiatur.

Tertius modus tradendæ pietatis.

Tertius modus, quem facienda pietatis semente seruant, consistit non tam in verbis & exhortationibus, quàm in operibus & bonę vitæ exemplis, qui modus docendę virtutis pulcherrimus est: nam, vt quidam ait *exemplo facilimè iubetur.* Vt verò probem, Iesuitas prælucere discipulis suis exemplo, & ad omne honestatis genus præpandere lucẽ, aliud non afferam, quàm eos esse Religiosos, & vt Religiosos officij sui memores. Hæc *Religiosi* appellatio hæreticis, fratribus tuis, inuisa est, imò abominabilis; sed Catholicorum mentibus, omnium virtutum quasi cõpendium quoddam subiicit. Quocirca cùm Iesuitę boni sint Religiosi, dubitare minimè licet, quin omnibus suis actionibus, colloquiis, congressibus familiaribus præire possint aliis ad virtutem, conuenienter suo instituto: Hinc eò etiam aptiores sunt iuuẽtutis Magistri, quò magis in eis pietas elucet, etiamsi tribus prioribus boni præceptoris notis non ita excellerent. At cùm & his & illa maximè præstent, meritò hic finio & concludo; Iesuitas tales esse Magistros & Doctores, quales optari solent & debent, vt iuuentus reddatur beata.

De Parisiẽsi decreto in Iesuitas

Quamobrem refigite, si libet, ô Senatores, edictum vestrum, quo istos tam præstantes Magistros ex Gallia abire iubetis, ingenti damno Catholicæ iuuentutis, tam fidis institutoribus orbatæ. Ne, quæso, tantum gaudii adferatis hęreticis, cùm Catholicorum nomine gloriemini: neque tantum mœroris Catholicis Gallis creetis, qui decretum hoc habent ictus, vel potiùs vulneris loco Catholicę Religioni à Senatu inflicti, quod consequentibus annis, cum magis

sanię

sanie intumuerit, notius etiam erit, magisq; ex absentia boni amissi, eluceſcet magnitudo præsentis iacturę. Ne iuratis, oro, vobis maculam, quę apud omnes Christianos, qui iam nati & qui nascentur, vestrum vestriq; Ordinis splendorem nota indelebili obscuret & dedecoret. Illi enim remoti ab odii caligine, & ab omi perturbatione, serenitatem animi obfuscante segregati, veritatem & innocentiam propiùs & penitiùs intuebuntur, dirisque deuouebunt, omnes, qui tantę cladis auctores. Est Deus in cælis, hunc potiùs respectate, & vt Christiani timete. Vindicem habet oculum, nec obliuiscetur innocentum, sed iniurias illatas aliquando digna pœna cõpensabit. At quidam ex Iesuitarum Scholasticis conatus est Regem interficere. Ergone Iesuitę præstare debebunt errata suorum discipulorum, etiam tunc, cùm ipsis operam dare desierũt, sicut iste desierat? At prę-sumendum est, eum à Iesuitis ad hoc facinus instructum & impulsum. Ergone ex tenui vanæ præsumptionis vmbra, iudicium, imò Senatusconsultum adeò rigidum & seuerũ formabis & scisces contra tam numerosum & tam longè lateque patentem Religiosorum hominum Ordinem, cùm ipse etiam scholasticus reus inter medios quæstionum & tormentorum terrores & cruciatus, Iesuitas omnes silentio suo absoluerit, insontesq; declarârit? Et Ioannes Gueretius, Societatis Religiosus, Præceptor quondam illius Scholastici, & à vobis in suspicionem adductus, vestris etiam suffragijs absolutus est, abiens ex certamine crudelis quæstionis corpore mutilatus, & innocentię suæ lauro redimitus.

An Iesuitæ luere debeant errata suorum discipulorum.

At docent, *Reges posse interfici.* Nunquam alicubi fuerunt hac de re suspecti, neque etiam in Gallia, nisi quando Arnaldus à Ministris edoctus, ex latibulis suis emersit. Supersunt in Gallia multa millia eorum, qui Iesuitarum scholas frequentarunt, omnes testabuntur, talem doctrinam nunquam

An doceant posse Reges interfici.

quam ab illis traditam; & Arnaldus, qui vobis Assessoribus & Iudicibus Iesuitas in Iudicium vocauit, hocque crimen in tota sua actione potissimùm vrsit, cùm percurrisset totã Europam, Flandriam, Angliam, Lusitaniam, imò Peruanã quoque & Mexicanam prouincias, vbique inuestigans, inquirens, odoransque, non sine latratu, Ministrorumque, tanquam acuti nasi molossorum satellicio, vt exploraret, num quid confirmandæ huic accusationi idoneum occurreret, tandem ad tribunal vestrum accessit, perorauit, exposuit omnia, concluſit, Iesuitas exterminandos esse. Quid apud vos effecit? Nihil penitùs. Absolutis Iesuitis, vestroque silentio declarâstis, quidquid afferebat, nihil aliud esse, quàm inanem verborum tinnitum. Quis modò de vobis toto terrarum orbe rumor spargetur, cùm percrebuerit, Iesuitas à vobis damnatos, exilio mulctatos quæstioni subiectos, equuleo tortos, denique laqueo & flamma enectos, idq; ob tenuem suspicionem & præsumptionem, multoque inaniorem & leuiorem, quàm sint omnes fumi, quos ventosus iste, vel potiùs fumosus Aduocatus attulit? Condemnastis non modò Parisiis, sed per totam Galliam, & quid ad Bituricenses, Lugdunenses, Niuernenses, Billomenses, Parisiensium delicta, posito etiam, quòd Parisienses deliquissent? *Omnes sunt iuuentutis corruptores, populi seductores, Regis & Reipub. hostes?* Hæc omnia Ministris suggerentibus, effutiuerat in sua Inuectiua Arnaldus sine vlla probatione. Noluistis tunc fidem adhibere: cur posteà credidistis? Idcirco, quia auctoritatis aliquid sibi conciliauit, quòd dixerit & scripserit innumeras imposturas? Potéstne atrocior sententia ferri in eos, qui docent & discunt hæresin, magiam, atheismum, aut vnquam in illos lata est? Quando Ministri & Magistri hæreseos edictis huiusmodi ex Gallia abire iussi sunt?

Edicta

Edicta, quibus anno M. D. Lxxxvj. & M. D. Lxxxvij. hæretici ex Gallia amandabantur, concedebant illis semestre, ne tempore excluderentur, & ad deliberandum, quid facto opus esset, & ad facultates suas distrahendas, & in exteras regiones sine impedimento perferendas. At Religiosos intra quindecim dies, ex tota Gallia, & intra triduum suis ædibus excedere iubetis; fortunis omnibus & prouentibus, imò libris etiam & bibliotheca fisco & ærario regio adiudicatis. Suntne Iesuitæ sine scelere sceleratiores Ministris hæreticis? quos non modò Galliæ, sed & toti terrarum orbi compertissimum est, totum mundum & Galliam seditionibus, bellisque intestinis turbasse, & propemodùm ex ipsis fundamentis euertisse; Christianissimis Gallię Regibus perpetuas insidias tetendisse, & in omnibus Gallię partibus perduellionis suæ & immanitatis plus quàm barbaricę, luxurię & impietatis vestigia & testimonia reliquisse, excogitatis in Regum perniciem mille technis; Catholicis, probisq; viris crudelissimè passim cruciatis & trucidatis; vrbibus, quas dolo & proditione ceperant, direptis & vastatis; sacris Virginibus & Sãctimonialib⁹ raptis, & per vim, summãq; iniuriam violatis, tẽplis, Monasteriis, altarib⁹ exustis, euersis cõtaminatis, profanatis, sine fine & numero. An hæreticos, & quidẽ eiusmodi hæreticos, vos Iudices Catholici, maiori clementia & humanitate dignati estis, quàm Iesuitas Religiosos, qui tantis laboribus & molestiis, imò sanguine etiam suo nihil aliud iam à triginta annis in Gallia agitant, quàm debellare tales Gallię hostes, & resarcire clades, quas Reipub. & Religioni intulerunt? An non hoc vestro facto à vobis abalienâstis omniũ Catholicorum animos, qui in Gallia & alibi, non sine Galliæ infamia sparsa per omnes Christianorum prouincias, quę Ordinem vestris sententiis damnatum amant, complectuntur, & quibuscunq;

licèt benèuolentię argumentis fouent. Num fortè verum illud iam omnium sermone tritum, *Parlamentum Parisiense desisse iam esse Parisiis?*

Sed ad institutum redeat oratio: nam libellus supplex re iam confecta, sententiaque perfecta, frustrà & iuxta verbũ vetus post festum offertur. Quemadmodum iuuentuti nihil melius & vtilius, parentibusq; & Catholicis Magistratibus nihil gratius & optatius accidit, quàm si eiusmodi Præceptores ludum aperiant, quibus filios suos, spem videlicet familiarum & vrbium instaurandarum, securè committant; ita etiã dæmoni nihil tristius & molestius euenit, quàm si videat, per eiusmodi instrumenta regnum suum diripi & destrui; eosque, qui ex horum scholis in Gallia & alibi prodeunt, non nisi rarissimè ad hæresin descisceere, publicisq; functionibus occupari, & sæpè ipsum Reipub. clauum tenere. Hinc illę calumnię, criminationes, & horrifica in Iesuitas mendacia: hinc coruos suos, Psittacos suos, suos Ministros & Arnaldos ad maledicendum & quiduis garriendum, insaniisque clamoribus diuulgandum excitat. Hinc nihil machinarũ non adhibet & admouet, vt huiusmodi scholarum & Magistrorum felicem cursum intercidat, quod in omnium Collegiorum ædificatione & fundatione factum; miris enim molestiis semper exagitati sunt.

Cur Dæmon adeo in Iesuitas sæuiat.

CAPVT LV.

Sperandum esse Iesuitas nunquam cessaturos à Iuuanda Republica Christiana.

MERVM fortasis hîc quispiam futuri metuens & incertus dixerit, præclaram istam Iesuitarum de omnibus bene merendi, præsertim de iuuentute voluntatem, eo vsq; duntaxat duraturam, quoad opibus

opibus aucti & cumulati fuerint: tunc enim Ieſuitas ab huiuſmodi egregiè cæptis deſituros, partiſq; ſecurè & in otio perfruituros. Hic metus te, Arnalde, non tangit, quia non modò non times, ne impoſterum deteriores fiant, ſed illos diſcupis modò tam improbos eſſe, imò peiores, quàm dicis ipſos eſſe, vt quàm citiſsimè videas ex Gallia, & ex toto terrarum orbe exterminatos: nihilominus tamen, vt gratificer illis, quibus Societatis bonum cordi, reſpondeo, non poſſe ab vllo mortalium perpetuam conſtantiam actionum humanarum promitti, cùm natura ſua, mutationi & viciſſitudini ſubiaceant, retroque ferri & in deteriùs quotidie labi queant: Fieri quidem poteſt, vt labentibus annis Ieſuitæ à ſuis virtutibus deſciſcant; interea tamen vtile eſt, vt tales habeamus, quales ſunt, vinumq; bibamus (quod ſapienter olim ad hoc propoſitum dixit Dominus Brulardus primus Præſes Diuionenſis) dum bonum eſt: nam ſi aut acceſcat, aut omnino corrumpatur, tunc liberum erit nobis ab eo penitus abſtinere, nec ad vllos maius damnum manabit, quàm ad ipſos Ieſuitas.

Illud præterea adiungo, diuinam prouidentiam, quę his poſtremis ſeculis inter tot difficultates iſtam produxit familiam, poſſe ſuo nutu eandem conſeruare & multiplicare, & hoc eò magis, quò eam nouit Eccleſiæ vtiliorem, & magis neceſſariam. Hinc ſingulari Dei beneficio, optimis legibus fundata & temperata eſt, deſumptis ex ipſo rerum vſu & experientia; qua edocti vident cauſſas diſſolutę in aliis nõnullis Ordinibus Religioſę diſciplinę, & remedia, quibus denuò ſanciri & reuocari in priſtinum ſtatum poſsit. Huic fini conducunt etiam Regulę, quibus ambitioni occluditur aditus, & illę potiſsimum, quę de paupertate, omnis Religionis firmo propugnaculo & muro aheneo: ad cuius paupertatis cõſeruationem, multum etiam momenti adfert mos

noſtri æui (contrarius mori anteacti temporis) qui non eò tendit, vt donet, ſed vt Religioſis id, quod habent, eripiat; quiq; Ieſuitas ſemper locupletat & locupletabit, copia verborum, nunquam rerum. Eiuſdem paupertatis puritati inuiolabiliter retinendæ, & Societati perpetuis incrementis amplificandę admodum ſeruit miſsio & eiectio eorum, qui aliis noxii & damnoſi, de quibus ſuprà fuſiùs: item accurata illa ratio non recipiendi quosuis, ſed ingenio præſtantes, annis maturos, literis, ſpectatis moribus, & pietate inſtructos. His adde probationem illam biennem tempore tirocinii, & alteram annuam, abſolutis ſtudiis, & experimenta, quę profeſsionem antecedunt. Hæc & id genus alia de Societatis perpetuitate bene nos ſperare iubent.

Ieſuitis proprium eſt Iuuentutem inſtruere

Quod verò ad iuuentutis inſtitutionem attinet, ea Ieſuitarum Conſtitutionibus tam eſt propria, & vt ita dicam, tam *eſſentialis*, quàm proprius & eſſentialis eſt aliis Ordinibus Chorus, & Horarum Canonicarum in eo perſoluendarum cura: & vt cæteri Ordines, deſerto Choro, deſinunt eſſe id, quod ſunt; ita etiam Ieſuitę planè deſinent eſſe Ieſuitę, ſi non faciant id quod faciunt. Hac officij ſui ratione & neceſsitate adacti, ſtudiis literarum toto pectore ſeſe dedunt, vt animum eruditione poliant, non ſuo tantùm, ſed & aliorum bono; & hoc continuo in literis progrediendi labore & conatu fugant ignorantiam, & otium omnium vitiorum fontes, peſtes omnium Religionum, quæ corruerunt. Porrò licèt hæc ita ſe habeant, nolim tamen polliceri alicui perpetuum & nunquam à recto deflexurum integritatis curſum: neque enim maiori prærogatiua Ieſuitæ donati ſunt, quàm vniuerſalis Eccleſia in terris, in cuius pluribus membris, quoad exercitationem bonorum operum, conſpiciuntur incrementa & decrementa perfectionis; licèt quoad ſinceritatem fidei & doctrinę, qua morũ innocẽtiam & ſanctimoniam

monìam docet, ſemper tota pulchra maneat, & digna ſponſo ſuo, qui eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum.

Ecce quomodo Ieſuitę ſeducant & corrumpant iuuentutem. Verum dixiſſes, ſi dixiſſes, Miniſtros natione, non religione Hiſpanos, ex Hiſpania profugos, & in Gallia latitantes cum Miniſtris Galliæ facere id, quod hac in parte Ieſuitis falsò imponis: ſed quia Miniſtros exiſtimas veros eſſe Gallos, bene tibi cauiſti, ne illos offenderes iuxta proteſtationem, quam de ea re initio actionis tuę edidiſti.

Sed ad reliquas accuſationes progrediar, ſi te hîc priùs obiter monuero, te inſigni iniuria afficere Academiam Pariſienſem, & multa millia præſtantiſſimorum hominum, quos inſtituit, quando dicis: *Ex quo Ieſuitæ Scholaſticos ad ſe pertraxerunt, omnes deſponderunt animum, quod* (vt ais) *Scholaſtici frequenti concurſu Ieſuitas adeant, ne quid mercedis ſit ſoluendum: quæ cauſſa eſt, vt cæteri Regentes & Doctores Scholaſticis, & mercede illa literaria, quam Landii appellant, careant:* Sed cùm iſta dicis & ſcribis, grandi cõtumelia traducis Doctores & Magiſtros Pariſienſes, tanquam mendicos aut auaros, quibus præter docendi munus nulla alia victus parandi ratio ſuppetat, & quibus vnicus ſcopus lucrum: traducis etiam ipſos bonarum literarum ſtudioſos, velut egenos aut diſſolutos; quando, vt vel pecuniæ parcant, aut vt ipſam expendant, vt tu loqueris, *in locis ædilem metuentibus*, conferunt ſe ad Ieſuitas; quod mendacium cum ſumma iniuria coniunctum eſt. Nam nullo modo fit veriſimile, tot homines ingenuos, qui Pariſiis docuerunt, totq; nobiles adoleſcentes & proceres, qui ibidem Ieſuitis operam dederunt, hunc actionum & laborum ſuorum finem ſibi propoſuiſſe: quos atrociori adhuc afficis iniuria, cùm dicis, illos & quotquot Ieſuitis Præceptoribus vſi ſunt, eſſe *ingenijs corruptis & deprauatis*. Sed virtutis documenta, quæ multi illorum iampridem dederunt,

Arnaldus iniurioſus in Academiam Pariſienſem, eiusq; Doctores.

& verò adhuc dant, & publicę functiones tanto cum Reipub. fructu obitę oſtendunt, linguam tuam deteriorem eſſe lingua dipſadis, à qua ſimilitudinem petis, vt calumnias tuas aliquo fuco obumbres. Cæterùm tantum abeſt, vt Academici Pariſienſes aduentu Ieſuitarum animum docendi abiicere debuerint, vt potiùs debuerint alacriores ad docendi munus accedere, quippe ſubmiſſo laborantibus in ſubſidium auxiliari manipulo: at ſi volebant Ieſuitas aduerſarios habere, & cum iiſdem glorię certamen inire, numero longè ſuperiores erant, quippe plura, quàm 52. Collegia aduerſus vnum. Sed nunc cætera à te prolata mendacia diſcutiamus.

CAPVT LVI.

Examinantur Calumniæ Arnaldi magis particulares.

POſtquam eminùs multa vi, vtraq; brachia iactans in Ieſuitas depugnaſti, propiùs nũc accedis, & ad calumnias magis particulares, certisq; temporũ, locorũ & hominũ notis diſtinctas deſcendis; vtq; hoſtes tuos ad internecionẽ vſq; deleas, cõſcenſo eloquentiæ tuę Pegaſo, raptaq; haſta, pronus in ictus & vulnera pendes, laxatis linguę tuæ habenis, oreq; in has voces ſoluto: *Quæ lingua, quæ vox ſuffecerit exprimendis conſiliis occultis, coniurationibus magis nefariis, quàm illa Bacchanalium; periculoſioribus, quàm illa Catilinæ, habitis in Collegio*, quod occupant viâ Iacobæâ, in templo item Antoniano? *Quinam ſunt, qui anno M. D. Lxxxv. recuſabãt abſoluere Nobiles, niſi prius iurarent in Ligam ac coitionem aduerſus Regem ſuum, maximè alioqui Catholicum? Per quos amiſimus oppidum Petracorium? Per Ieſuitas certè. Quis cauſſam præbuit, cur Rhedonum vrbs ad hoſtes deſciſceret? Nónne con-*

Verba Arnaldi.

ciones

ciones Ieſuitarum? Quis nobis eripuit Agennum, Toloſam, & ſummatim oppida omnia, in quibus vel primorem poſuerunt pedem? Quinam præſides egerunt XVI. viratus illius latrocinantis? Nónne Comoletus, Bernardus, Pater Odo Pichenatus, crudeliſſima illa tigrium, quam vnquam vidit Lutetia. En metam tui ſtadij & curriculi, teliq; tui violentiorem & penetrabiliorem iactum: non exiguam profectò laudem iunior declamator in Collegio Nauarræo meruiſſes, ſi tam plauſibile argumentum tractandum ſuſcepiſſes: additis tamen initio vel ſub finem his verſibus:

Non mihi, ſi linguæ centum ſint, oraq; centum,
Et latera ære magis rigida & vox ferrea, poſsim

Enumerare omnia illa ſcelera, quę Ieſuitę perpetrarunt. Verumenimuerò qui tam grandia & enormia crimina Ieſuitis à ſe obiecta probat in conſeſſu tantorum Iudicum, inter media ſtemmatis Gallicani lilia conſidentium (quorum quilibet vultu præ ſe fert grauitatẽ Regis in throno ſuo regali maieſtate ſedentis, vt de Romanis Senatoribus Cyneã Regis Pyrrhi legatum dicere ſolitum accepimus) qui, inquam, probat talia & tanta crimina coram huiuſmodi Iudicibus nullo alio argumento, quàm inani quadam linguæ volubilitate, tropisq; & figuris Rhetoricis, is & mundum ludibrio habet, & innocentes nefariè diffamat, ſeque dignum eſſe declarat contubernio illo, quod in maiori arce Pariſienſi, quam vocant *Caſteletum*, vt ibi clauſis ianuis vitam degat, donec id, quod obiicit, probet. Vis cauſſę & quaſi neruus, officiumq; boni Aduocati erat accuratè notare tempora, loca, perſonas, media, cauſſas, ſocios coniurationum, teſtes citare, & vndique argumentis fide dignis accuſationi robur & auctoritatem addere, vt ita Ieſuitas manifeſtarios teneres, ne vlla via elaberentur: poſteà, ſi libebat, victoria obtenta, erectoque trophæo cadaueribus hoſtium tuorum

Diſcuſsio eorũdem.

inſultare

insultare, & inequitare poteras interrogando, exclamando, apostrophas multiplicando, & mille arietes & machinas adhibendo. Verùm adeò insolescere, & impotẽter agere, nulla re memorabili effecta, sed solo quodam verborum sonitu auditorum auribus perculsis, & nihilominùs postulare, vt omnes prono assensu id, quod deblateras, credant; id videlicet est nimium de tua persuadendi facultate & efficacitate & de simplicitate audientium confidere. Nescis interrogationem tuo modo factam, neque affirmationi, neque negationi idoneam esse, talesque indifferenter loquendi formas nihil asseuerare, sed potiùs ornatus & ponderis caussa interdum adhiberi non faciendę, sed factę iam probationi?

Interrogatio nec negat nec affirmat.

Cogita, sodes, paulisper, cuius momenti sit hoc argumẽtum: *Quæ lingua, quæ vox suffecerit exprimendis Iesuitarum coniurationibus?* Simili planè loquendi ratione assentatorum quispiam probaret, te esse alterum Carolum Magnum, si spes aliqua lucri obiiceretur: *Quæ lingua suffecerit victricibus Arnaldi signis, triumphis, trophæis, coronis, adoreis? Quis ille, qui sexcenties profligauit, & occidione occidit tot Maurorum, Turcarum & hæreticorũ turmas, hostiumq; Christiani nominis phalanges, nisi Arnaldus? Quis barbarorum cruore flumina rubefecit, eorundemque craniis & ossibus, camporum æquora candefecit, nisi Arnaldus, omnium supremus, fortissimus, felicissimus, totius orbis Monarcha?* Anne his interrogantibus Carolus Magnus effectus es? Anne thorax tuus in loricam commutatus, graphium in lanceam, cultellus calamarius in ensem, epomis tua in baltheum, calamus tuus in sceptrum, galeri tui vinculum in diadema, corpus tuum & anima tua in personam Caroli Magni? Eadem figura mutato Iesuitæ nomine in tuum probabo, te omne illud patrasse, de quo accusas Iesuitas. *Quæ lingua, quæ vox suffecerit explicandis consiliis occultis & coitionibus, quæ factæ in domo Arnaldi?* & ita deinceps. Quod si hac probandi

bandi forma nihil neq; pro te, neque contra te probatur, fatearis oportet, hanc tuam obtrectationem ad nihil aliud valere, quàm ad ostentationem; non ad nocendum, sed ad mouendum Iesuitis risum. Fatearis, te in consuetum tibi errorem incidere, dum vice argumenti illud assumis, de quo controuertitur, contra præcepta Logices. *Quæ lingua, quæ vox sufficerit exprimendis Iesuitarum conspirationibus?* Fortè dicere vis, nullam sufficere, quod verum est: nam coniurationes illæ adeò secretæ sunt, vt sciri nequeant, cùm nunquam fuerint in rerum natura, & minùs adhuc explicari; nisi eo modo, quo tu eas finxisti & protulisti. Quamobrem nulla alia ratione ad te refutandum hîc opus est, quàm simplici omnium, quæ obijcis, negatione, dicendo sigillatim: In domo Iesuitarum nunquam initam vllam coniurationem, nunquam negatum absolutionis beneficium iis, qui illo digni, nunquam vrbem aliquam concionibus Iesuitarum interiisse, nunquam Iacobum Comoletum, vel Bernardum Roillet consiliis sedecemuirorum præfuisse. Quod si Odo Pigenatius conuentui illi aliquando interfuit, id inuitus & repetito mandato Domini Mainij, & rogatu quoque Domini Brissonij fecit; non vt præesset, sed vt Senatui, suis exhortationibus quasi loco freni esset: & si aduersa eius valetudo permisisset, vt eos semper in officio contineret, ipse dominus Brissonius & alij adhuc superstites essent. *Refutatur mendacia Arnaldi.*

Addo præterea, id, quod Catholici Religionis ardore succensi, his tam dubijs temporibus fecerunt, quod q; etiam à Iesuitis in confessionibus, concionibus, colloquijs, & familiaribus congressionibus factum, non pertinuisse ad exitium vrbium, Regni, vel subditorum; sed ad conseruationem fidei, Religionis auitę, & Reipub. Gallicanę. Et si rebus Hispanicis tantum studuissent, quantum tu fingis; si toti mundo leges dedissent, vt ais; si ea voluntate fuissent, qua

tu illos fuisse mentiris, si tanta illorum potentia, quantam tu verbis magnificis intonas; nonné Gallię regnum Hispanis tradere potuissent, vt voti sui, quod toties exagitas, participes fierent, aucta Hispanię Monarchia non modico sanè incremento? Sed nihil eorum, quę comminiscēris, ipsis in mentem venit. Regnum Gallię, nunquam Domino natiuo, Iesuitarum operâ spoliabitur: quod si qui ex eorum numero coacti sunt plus quàm lubebat, pro Ecclesiæ bono huiusmodi negotiis sese immiscere: si item nonnulli in concionibus ad populum, ardore & dicendi contentione abrepti, longiùs extra terminos propositi thematis euagati sunt; excusationem merentur, præsertim apud illos, qui tam sanctè legem obliuionis se obseruaturos profitentur, vt tu: nam affectio, quę ex Religionis zelo & amore proficiscitur, prę alijs venia digna est, maximè quando in vitium agitur, non in personam, etiamsi pungatur persona, in qua est vitium. Qui vulnus accepit, patienter fert chirurgi ferrum & flammam; quia scit, sectionem & vstionem vulneri sanando adhiberi, licèt corpus, in quo vulnus, cruciet. Quòd si multis ex fœdere illo alia fuit in pectore mens, quàm in ore, si specioso Religionis prætextu, magis ambitioni & auaritiæ, quàm caussæ publicæ & defensioni Catholicæ fidei seruierunt & satisfecerunt; næ illi culpam castigabilem admiserūt. At Catholici re & nomine tales, qui in ea confœderatione nihil aliud propositum habebant, quàm Dei honorem, Religionisq;, & Regni conseruationem & amplificationem; illi non modò apud Deum, sed & apud homines immortalem laudem consecuti sunt. Non enim per illos stetit, quò minùs Catholica Religio in Gallia stabiliretur, hæresis profligaretur, Galliaq; Regem Christianissimum, & pacificum in throno regio conspicaretur.

CAP.

CAPVT LVII.

Iesuitas nunquam fuisse suspectos de seditionibus.

CEterum, si Iesuitæ natura sua tam seditiosi, & tanti Reipub. turbatores essent, in gratiam Monarchię Hispanicę; fuisset iamdudum ea de re querela, vel saltem suspicio exorta alijs itidem in regionibus, vbi similiter, vt in Gallia, *Regis Philippi negotia curant*, vt tu dicis. At nullus Principum Magistratuumue Catholicorum vnquam extitit, qui Iesuitas non agnosceret pacis quàm maximè amantes, fideles subditos diuinisq; & humanis legibus diligenter obtemperantes. De Regibus Galliæ nominatim, quàm Societatem probauerint, amauerint, eiusque vsi sint operâ, iam suprà diximus. Carolus IX. Rex hæreticis infestissimus & infensissimus beneuolè Iesuitas complectebatur; quos etiam in domo sua regia, quam *Louure* vocant, de rebus diuinis verba facere voluit, eosdemque sæpiùs emisit in varias Galliæ partes, vt hæreticos ad saniorem mentem reducerent. Ipse anno Domini M. D. Lxjx. Concionatores ex eadem Societate iusto numero Pictauos & ad vicinas vrbes misit, vt verbi diuini illis in locis sementē facerent, inter quos fuit etiam Odo Pigenatius, quem tui semper in calumniando similis, *Tigrim* appellas: nam Parisiis non nascuntur tigrides, nisi qualis tu. Ipse est, qui diplomate regio fundationem Collegij Burdegalensis confirmauit, & ratam habuit, non obstantibus cunctis hæreticorum machinis, quibus blesis fundationem illam irritam reddere conabantur.

Ioan. Maldonatus Hispanus iußu Regis Caroli concionatorem egit Parisiis in domo Regia 1570.

Qua item charitate Rex nuper mortuus eandem sit complexus, iam suprà tibi indicaui. Fierine ergo potest, vt Iesuitæ ab istis Regibus, illorumq; Antecessoribus, qui eos

Regno & ciuitate donârunt, habiti sint Regni perturbatores? Tamdiune fraudes & tam pernicioſæ techne in occulto latere potuiſſent? Num impunè tanta ſcelera deprehenſi tuliſſent? quòd ſi tunc his facinoribus affines non erant; num fieri potuit, vt tam breui tempore tam mali fierẽt, *cùm nemo repentè malus fiat*, multò minùs peſsimus, & toto corpore vitioſus? Sed tu hæreticorum more turbationem quietis vocas *expugnationem & obliterationem vitiorum, infidelitatis & hæreſeos:* ſeditioſos, & pacis perturbatores nominas eos, qui concionantur contra facinoroſos & flagitioſos, atheos, hæreticos & Machiauelliſtas. Conuenienter huic tuo iudicio Iacobus Comoletus eſt ſeditioſus, quia doctrina & eloquentia ſua ictu lethali hæreſin tangere nouit, vt viuificet hæreticum. Eadem cauſſâ, turbulentum vocas Bernardum Roillet, quem vtilitatis & emendationis tuę gratia optarem frequenti conſeſſu, vel vnius horulæ ſpatio verba ad te & de te facere; Crede mihi, egregiè ſuo fungeretur munere, teq; inſigniter exciperet, licèt oleum & opera perdenda eſſent. Denique omnes Catholicæ Religionis ſtudio inflammati, omnes boni concionatores, tuo iudicio, ſunt perturbatores funeſti. Quare mirandum non eſt, ſi aculeos amentię tuę in Ieſuitas expromas tanta verborum acerbitate adiuncta. Sed bene habet: nudæ & merę ſunt interrogationes & phrenetici cerebri deliramenta.

Qui ſint ſeditioſi iudicio Arnaldi.

Eiuſdem farinę eſt epiſtola ſcripta ad Regem Hiſpaniæ, quam magna ſermonis inſolentia iactas, ratus, te iam obtinuiſſe victoriam, perſpicuoque argumento demonſtraſſe, Ieſuitas Hiſpanis vendidiſſe Gallię regnum. Iſta epiſtola fauces tibi elidit, debetq; tibi, ſi ſapis, æternum ſilentium indicere. Ais, *epiſtolam hanc ſcriptam Pariſiis, & inde in Hiſpaniam perlatam operâ cuiuſdam Patris Matthæi Ieſuitæ, qui conſcius fuerit conatuum & machinationum Regis Philippi.* Mones, *vt diligenter*

ligenter notetur tempus datæ epistolæ, quod est secundus dies Nouembris anni M. D. Lxxxxj. At Iesuitę tibi respondēt, P. Matthæum Iesuitam mortuum esse Anconę Anno M. D. Lxxxiix. nec alium sese habuisse aut nouisse Parisiis eius nominis aut cognominis: si iste tunc resuscitatus est ante generalem resurrectionem, si equo Pegaseo Ancona in Hispaniam volauit, vt caussam Regis ageret, si Lutetiam venit acceptum istam epistolam, grande meritò censetur miraculum: sed si non est excitatus à mortuis, magnus vtiq; impostor & sycophanta es, præsertim cùm ille Matthæus nunquam, dum viueret, Hispaniā viderit. Auctores, à quibus figmentum hoc accepisti, fefellerunt te, miser Arnalde. fuit quidā Pater Matthæus Hispanus, sed non Iesuita, cuius epistola intercepta: sed cùm mendaces illi impostores cuperent à te Iesuitas atrocissimo mēdacio onerari, hoc tibi suggesserūt, osq; tibi adeò diduxerunt, vt impostorum asini instar frenis coērcendus sis, si quis te, dum loqueris, in officio continere velit.

Impudens mēdacium Arnaldi de epistola. ad Regem Philippum.

CAPVT LVIII.

Iesuitas non esse reos læsæ maiestatis.

A Republica Iesuitarum seditionibus turbata, gradum facis ad crimina læsę maiestatis: hæc accusatio si probatione non destitueretur, reliquis omnibus validior, & ad id, quod contendebas efficiendum, efficacior, & ad Iesuitas communi omnium mortalium odio grauandos, & exilio sempiterno mulctandos accommodatior esset. Nihil est in terris augustius, nomine & maiestate regia, nihil quod summos & infimos tantum ad vindictam incitet, quantum scelus in Regem vel animo cōceptum, vel opere perfectum. Regibus deferri iubent leges

diuinæ reuerentiam, obseruantiam, obsequiũ, graui in pertinaces & parere nescios pœna constituta. Humanæ leges nusquam magis rigidæ & seueræ, quàm hîc. Puniunt tanti criminis reum & viuum & vita functum: nec in ipsum duntaxat hæc pœna expetit, sed & in fortunas illius, in conditionem & statum, in coniugem, in liberos sine exceptione & venia. De liberis quidem huiusmodi homine prognatis, Lex ita edicit: *Sint postremò tales, vt eis perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vita supplicium.* Quamobrem si Iesuitæ tam immanium criminum legitimè conuicti fuissent, meritò te procurante pœnas illas Legum seueriſsimarum expendissent, meritò in odium immortale populi incurrissent, meritò in offensam omnium Principum & optimatum incidissent, tibique fidelis subditi & integerrimi causidici laudem & gloriam cõparasses: Sed cùm Iesuitas nulla probatione tantorum scelerum postulaueris, iure optimo inter peruersissimos & improbissimos adulatores & calumniatores collocaris. Tam sacræ, quàm profanæ historiæ docent, atrociores calumnias aduersus viros probos excogitatas, omnibus seculis ex hac officina profectas, & super hac, vt ita dicam, incude fabricatas & dedolatas. Omissis exemplis profanis, vnum aut alterum ex sacris literis seligam.

L. Quisquis. C. ad l. Iul. Maiest.

Ibid.

Vnde calumniatores materiã criminandi petant.

1. Reg. 22.

Doeg impostor, magna auctoritate in aula Saulis, Dauidi & Achimelech summo Sacerdoti perniciem struens, hoc artificio vsus est, persuaso Rege, quòd suo capiti insidias tetendissent: Rex accersito in Regiam eodem Achimelech Sacerdote, comitantibus illum octoginta quinque Sacerdotibus Leuitici generis, omnib. Ephod lineo vestitis: *Quarè*, inquit, *fili Achitob coniurasti aduersum me, tu & filius Isai? Morte morieris tu & omnis domus patris tui*, occlusisq; ad omnem rationem & excusationem auribus, trucidari iussit Sacerdotem cum toto comitatu & cognatione sua, & quidem gladio

dio illius, qui iam antà spiculis linguæ suæ eosdem peremerat & impiè infamârat: Satellitibus Saulis tam nefandum facinus aggredi detrectantibus, ne sese Sacerdotum sanguine contaminarent. Eadem crudelitate sæuiisset in ipsum Dauidem, si quo casu in manus eius incidisset.

Nec abstinuit simili fraude Aman, quando in animum induxit, totam Iudæorum gentem ex Assueri regno exterminare, sic Regem affatus: *Est populus quidam in regno tuo nouis vtens legibus & cæremoniis, & quod peius, Regis scita contemnens, nõ expedit regno tuo, vt per licentiam insolescat: decerne, vt pereat:* Promulgatum est edictum, sed, quod bene vertit, in exitium auctoris, calumniatore suspenso, & innocentibus liberatis. Ex potissimis persecutionibus, quas dæmon contra Ecclesiam vix ex incunabulis egressam excitauit, illa fuit, cùm Christianos traduxit tanquam iuratos & capitales hostes Imperatorum, omnisq; Maiestatis & Dominationis. Non ignorabat vafer ille & callidus artifex, se concitato in Christianos supremo omnium Magistratu, talem machinã adhibere, cuius violento impetu non longo pòst tẽpore cõciderẽt, & funditùs subruerent. Si palàm fecero, te tibi imitandos proposuisse, imò longo interuallo superasse Doẽgos & Amanos, falsisq; criminibus Iesuitas à te oneratos esse, tum totus orbis agnoscet, te in hac accusatione verum fuisse dæmonis organum, sicut illi fuerunt, filios Dei, insectando, teq; mercedem Amani promeritum, & omnia illa supplicia, quę reis læsę maiestatis, Regumq; interfectoribus decreta sunt. Sed nunc accusationis tuæ capita examinemus.

Hester 3.

Tertul. in Apolog.

Prima tua probatio fuit, quòd Frater Clemens priùs animum apud Iesuitas confessione expiarit, quàm Regem è medio tolleret. Nullus vnquam extitit, cui hoc vel per somnium occurrerit, tantum abest, vt quis id affirmârit, cùm à vero sit alienissimum. Nam quilibet Religiosus confitetur illis

Quomodo probet Arnaldus Iesuitas esse reos Maiestatis.

tur illis, qui sunt sui Ordinis, satisq; multi erant docti & bo-
Mendacium cuinus ipsum Arnaldum puduit. næ conscientiæ viri in illa nobili familia S. Dominici, vt ne-
ceſſe non fuerit, Iesuitarum operâ vti. Hic quidam amicus
tuus, qui melius nouit Religiosorum leges, monuit te, ne
hoc mendacium typis mandares; sufficere enim, quòd e-
uulgaueris ianuis clausis; prudenterq; feciſti, cùm eius cõsi-
lium sequi, & tuo silentio linguã tuam cõdemnare voluisti.

Secundò, vt probationi tuæ fundum & fundamentum substernas, argumentaris ex Iesuitarum legibus, quos in *Summario* suarum Constitutionum pag. 308. tui exemplaris impressi, hæc verba habere dicis: *Tyrannos aggredientur*, quod, te interprete & glossulario, nihil aliud est, quàm toti mundo interitum & perniciem extremam moliri. Respondeo paucis, te mendaciis impudenter habenas laxare, neq; quid sit istud *Summarium* Constitutionum nosse, nisi ex aliorum sermone. Hoc Summarium quacunq; editione non constat pluribus quàm triginta paginis, & communiora exemplaria tantum septendecim: ducentos igitur & septuaginta octo numeros libro iam finito non sine grandi mendacio adijcis: vix reperias quantumuis agilem, qui tam expedito saltu lineã præfixam transiliat. Sed hic est eloquentiæ tuæ impetus, qui te toties extra veri rectiq; metas abripit. Prætereà dico, *Tyranni* nomen in toto Constitutionum *Summario* nusquam legi, & licèt ibi reperiretur, quid argumenti inde tibi subministraretur. Nomen *Tyranni* non pertinet ad Reges, maximè ad Reges christianissimos Galliæ: His addo, auctorem illorum verborum non esse Iesuitam, sed Iurisperitum commentatorem Bullarij Lugduni Anno M. D. Lxxxviij. excusi, qui scribens super Bullam Pauli III. occasionem sumit laudandi istam Societatem. Nec significant verba illa, quod tu finxisti, sed Iesuitas eo modo aggredi Tyrannos, quo Sancti Martyres, &

alij

alij olim zelo christiano ardentes eosdem aggrediebantur, detestando videlicet & extirpando idololatriam, paganismum, immanitatem barbaram, & id genus alia vitia. Hoc modo S. Ioannes Baptista aggressus est & redarguit Herodem, & alij alios Reges & proceres, & improbitatis quasi antistites. Hoc sensu protulit verba ista Iurisperitus ille, cùm recitaret, quid Iesuitę sub initium suę Societatis egerint cõtra Lutherum & Hæresiarchas, Tyrannos fidei Catholicæ, in quos irruebant & insiliebant armis spiritualibus. Quo loco malitiosè commutasti tempus præsens in futurum: nam in Commentario habetur: *Aggrediuntur*; sed tu vt verba stilo legis accommodares, & impostur ę tuæ vim adderes, posuisti (*aggredientur*) Accipe verba Petri Matthæi in illam Bullam. *Dum superseminat inimicus homo zizania, adsunt diuino pneumate acciti Patres Societatis Iesu, qui Petri sedem illustrant, in Lutherum arma diuini eloquij parant, Tyrannos aggrediuntur, lolium ab agro Dominico euellunt, & fidei Christianæ præclarissimi buccinatores verbo & exemplo cunctis prælucent. Interea* (inquit) *dum inimicus homo* (videlicet Lutherus homo terrestris, & instrumentum spiritus maligni, veriùs hominum inimicus) interea *dum lolium seminat*, adsunt Patres Societatis Iesu diuino spiritu accíti, qui S. Petri sedem illustrant, sumunt arma verbi Dei contra Lutherum, Tyrannos aggrediuntur, euellunt lolium ab agro Dominico, & tanquam præclari buccinatores fidei Christianę omnium primi sunt verbo & exemplo vitę. Perpendas igitur apud animum tuum, si recta mens & iudicium sanum, quanta sit tua impudentia & malitia, dũ hoc loco huius Doctoris abusus, probare contendis Iesuitas inter suas regulas vnam habere, quę sit de Regibus perimendis. Nonné furijs afflatus in illam apostrophen prorupisti? *Quid nunc Reges ac Principes terræ? Estné quod amplius securi degatis, & à metu percussorum, siue in aularum vestrarum penetralibus*

Summa improbitas Arnaldi.

Petrus Matthæus I. V. D. in Summa Const. SS. PP. in Bulla 3. Pauli III.

netralibus, siue inter apparitorum satellitia, si Diabolicum illud dogma, quodque infernus è penito suo euomuit fundo, hominum animis porrò influat? Non est sanè: at interim tamen illud ipsum iisdem inculcant instillantque Iesuitæ per auriculares suas confessiones. & cur non? cùm vel ei rei regularum suarum vi tantum non obligentur, quarum vna habet, Tyrannos aggredientur, lolium ab agrò Dominico euellent. Si ipse Cacodæmon orationis aliquam seriem & cõtextum deprauare voluisset, equidem deteriùs & sceleratiùs id non fecisset. Bone Deus quanta vocis laterumq; contentione exclamasses, qualia glossemata nobis attulisses, si
Caluini uerba. in summario Constitutionum Iesuitarum legisses, Reges christianissimos esse *asinos, mimos, & bruta animalia*, deturbandos de throno, nisi *conscientiæ liberæ frena permittant: & nisi cæremonias Ecclesiæ aboleant, non honorandos, sed sputis complendos esse.* Sed dic oro, vellicabátne animum tuum scrupulus aliquis, vel potius habebásne oculos, quando legebas Cõmentarium illius Iurisconsulti? Num iudicium tuum hypothecę loco alicubi oppigneràueras, quando locum hunc afferebas, minimè aduertens, fraudem ab aliis notatum iri? Cur non repetiuisti, vt eo in re tanti ponderis vterreris, pulchrioribusq; coloribus figmentũ tuum fucares? neque absq; iudicio libellus supplex offerendus erat. Hinc nihil effeciſti, cùm vbiq; dixeris & scripseris absq; iudicio.

CAPVT LIX.

De Barierio, qui Regem occidere voluit.

TEstium argumentum, quo idem crimen probas, constat testimonio Barierij, qui Melodunj Capitali supplicio affectus est: argumentum hoc iudicio tuo firmissimum est ad expugnandum Iesuitas, tuumq; tormentum bellicum vel præcipuum

cipuum, vel ex præcipuis, quod tamen comminuere, clauisue obturare, vel potiùs in te directum explodere, nullius erit negotij. Nam confessio Barierij, si verè commemoretur, impostura te arguit, Iesuitasq; ab omni criminis suspicione absoluit: Barierius dixit, *se petiisse consilium à Iesuita super eo, quod in pectore iamdudum volutabat.* Non nego. Accessit ad Varadium Iesuitam Parisiensem, à quo etiam tanquam mentis impos maxima vultus & sermonis grauitate reiectus est, ita, vt ne aures quidem confitenti dare voluerit. Illud etiam verum est, quod tu callidè dissimulasti, Barierium istum, quibusuis passim consilium suum patefecisse, vt quid sentirent, exploraret, & Lugduni pridem ante à Theologos, vt eorum sententiam audiret, vltrà Ararim euocasse, quo in cœtu nullus Iesuita comparuit. Verum præterea est, eundem Barierium ibidem in templo S. Pauli iusta funebria solenni ritu & pompa sibi persoluisse, relicta in eadem vrbe sua tessera, armisq; velut trophæis speratæ victorię suspensis. Verum deniq; est, Barierium fassum, facinus meditatum sibi à Iesuita quodam Lugdunensi fuisse dissuasum. Quæ omnia vanitatem tuam egregiè produnt, & innocentiæ eorum, quos tanta verborum acerbitate & petulantia reos facis, luculentum testimonium præbent.

Porrò quamuis Barierij confessio Iesuitas vehementissimè premeret (quod tamen non est ita) minimè tamen sufficeret ad integram probationem, & ad illas pœnas statuendas, quas expetis, cùm vi tormentorum fuerit expressa; nihil minùs tutum, quàm testimonium eiusmodi conspirationum ex sapientum sententia, & ex ipsarum Legum mente. Nihil faciliùs, quàm vt eiusmodi homines auribus seruiant, dicantque, quod auditu gratum fore credunt. *Illa tormenta*, ait Cicero, *gubernat dolor, moderatur natura cuiusq; tum animi, tum corporis, regit quæstor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat* Cic. pro Syll. Arist. 2. Rhet. ca. ult. Quint. lib. 5. init.

firmat metus, vt in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur. Si Barierius animaduertens quæsitoribus acceptum esse, si aliquid aduersus Iesuitas elicerent, multò plura dixisset, quàm dixit, miriſq; accusationibus Iesuitas oneràsset, vt se cruciatibus illis expediret; num propterea fides ei adhibenda esset, perinde ac oraculo cuidam diuino & testi bonæ mentis & maturi iudicij? Imò licet Iesuitarum aliquis Barierium ad facinus illud consilio suo exhortatus fuisset, num propterea contra omnes alios exilium aut exitium conclamandum esset; cùm ex Iesuitis nonnulli Barierium ab incepto dehortati sint, aliorumq; nemo inueniatur, qui consenserit? Anne propter vnius noxam quingentos proscribere & punire liceret, si extitisset Iesuita; qui proprio Marte hoc aggressus fuisset; si aliquis Frater Clemens Iesuita in ipso actu deprehensus fuisset, quantis & quàm immensis clamoribus descripsisses, proscidisses, dilaceràsses, & exterminàsses Iesuitas ex toto terrarum orbe? Quàm impotēter in Iesuitas inuectus fuisses eiusmodi munitus præsidiis ad probandum crimen læsę maiestatis, cùm adeò insolescas solis accusationum vmbris, ex delictis aliorum desumptis, & omni probatione destitutis?

Cæterum, vt argumentum hoc ex confessione Barierij petitum corrobores, producis exemplum Religiosorum *Humiliatorum*, qui in Italia fuerunt extincti: sed exemplum dissimile. Causę, cur fuerint deleti, recensentur in Bulla Pij v. Erant enim *rebelles, regularum minimè obseruantes, impœnitentes, & deploratæ improbitatis: conspirauerant in necem Ordinarij sui Protectoris & Reformatoris, latrone, qui Cardinalem glandibus ferreis traiicere conatus fuerat, capto, qui & coniurationem detexit, singulorumq; factionis capitum nomina detulit, non negantibus crimen suum iis, qui denunciati fuerant.* Profer simile quid de Iesuitis: si potuisses, non abstinuisses. Quamobrem cōparatio, quam instituis,

Cur ordo Humiliatorum extinctus.

instituis, & præsidium, quo te munis, rubore te suffundat oportet. Nam magnę ignorantię parisq; nequitiæ argumẽtum est, homines adeò vita & moribus diuersos, ad eandẽ pœnam stentoreis vocibus deposcere, præsertim cùm probare nequeas, tali pœna dignos esse. Ecce quomodo balista illa tua & catapulta pro Iesuitis in te pugnet, non sine clade tua. Nam quę hîc attuli, iure tibi adimunt omnem fidem: quis enim tibi imposterum credat, cùm à Iesuitis Reges interemptos esse mentiris? Nam vt in lege: *Qui semel malus est, semper præsumitur esse malus*: ita etiam qui semel mendacij & calumnię conuictus est, meritò semper calumniator & mẽdax habetur: At tu sæpiùs in mendacijs & calumniis manifestissimis deprehensus es, & toties, quoties variis de rebus agens varia argumenta proposuisti, & Inuectiuam quidem tuam in confessu Iudicum recitatam, tanta mendaciorum & criminationum copia aspersisti, vel potiùs perfudisti; vt in aduersariis & schedijs tuis multas calumnias coactus fueris sepultas relinquere, minimè typis vulgare ausus. Nam Iesuitas de multis accusabas, quæ refutare in præsenti nolo; satis enim silentio & tuo proprio testimonio refutata manent. Mentiebaris, Iesuitas veneno peremisse fratrem Regis, qui nuper viuendi finem fecit. Sed hoc tuum commẽtũ tenebris perpetuis occuluisti, vt & illud de Principe Auriaco, quem dicebas à Iesuitis interfectum. Illud etiam figmentum de Mauricio eiusdem Principis filio, cui similiter insidias à Iesuitis structas mẽtiebaris, in publicum non prodiit, sed intra priuatos parietes conclusum mansit. Illud de Regina Anglię alio colore depinxisti in edito libro, quàm in Curia & foro. Prætermisisti etiam confessionem Fratris Clementis, vt suprà monui. Hoc silentium, & hæc oris, & calami varietas perspicuè docent, te natura chamæleontis præditum, omniq; fraudis & deceptionis genere excellenter

In 6. de Reg. Iuris. Reg. 8. 22. q. 5. C. paruuli.

instructum. Veritas simplex est & vniformis, & semper eodem & quidem constanti pede incedit sine mutatione aut contradictione, semper sui similis.

CAPVT LX.

Refellitur calumnia de morte Sebastiani Regis Lusitaniæ.

Iob. 1.

POstquam omnes tuas merces tãto conatu in Gallia passim collectas exposuisti, regno exis, & vt ille calumniator Iobi terram circuis, & à polo arctico ad antarcticum, ex Oriente in Occidentem te transfers, & sine Regis Catholici literis, imò sine Inquisitionis metu Hispaniam peragras: adeò in Iesuitas excanduisti. Absolutis peregrinationibus, & tam immensis itineribus confectis receptui canis, & actionem tuam mendaciis & figmentis pertexere pergis. De Lusitania principio com-

Calumnia de occiso Lusitaniæ Rege.

memoras, *à Iesuitis Sebastianum Regem interfectum, vt in regnũ eius succederet Rex Philippus: suasisse enim, vt susciperet Africanam expeditionem, in qua occubuit.* Ista accusatio, Arnalde, eminet inter calumnias tuas, sicut colossus inter pyramides: sed eò facilius sternetur humi, quo minus solido fundamento nititur. Quam caussam, quod argumentum, quam coniecturam adfers, vt vera probes esse, quæ dicis, præter simplicem tuam Narrationem, & Ministrorum criminationes, quibus tuum guttur infersisti? Visne semper sine probationibus & testimoniis loqui? Visne semper, vt simplici tuæ asseuerationi fides adhibeatur, non secùs ac carminibus Sibyllinis, aut vt oraculo cuidam è tripode profecto? Niterisne auctoritate alicuius ex Lusitanis? nam isti rem accuratè norunt, & enarrare possunt. Inter Lusitanos nemo vnquã extitit, qui caussam huius cladis Iesuitis ascripserit; Inter Lusitanos

ſitanos, inquam, qui Reges ſuos maximo amore ſemper cõplexi ſunt: & tu homo Gallus, rerum Luſitanarũ planè ignarus non vereris illud aſſerere? Acutiusne vidiſti perrimulam ianuæ clauſæ, trecentis miliaribus diſtantis, huius facti veritatem, quàm Principes & proceres Portugaliæ, qui individui comites ſuo Principi adhærebant. quod quidem ad mendacia tua refellenda ſatis ſuperq; eſſet: addo tamen, iſtam calumniam non ſolùm nullam veritatis vmbram habere, ſed etiam prorſus repugnare naturę & rationi, nullũq;, niſi de ſtatu mentis deiectum, tam immane mendacium fingere poſſe. Ieſuitæ enim nullis Principibus plus amoris, officij, cultus & obſequii debuerunt, quàm Regibus Luſitanis, quos etiam ad immortalitatem euehere debebant, ſi hoc humanæ opis eſſet: generatim quidem propter eximiã Regum illorum pietatem, ſtudiumque ardentiſsimum promouendæ vbiq; terrarum Chriſtianæ & Catholicæ fidei: ſpeciatim verò, quòd ab his pluribus beneficiis cumulati ſint, quàm à quouis alio Principe. Nam Reges Luſitanię primi omniũ Ieſuitas ſedibus exceperunt, & tam in Europa, quàm in India, ad animarum ſalutem procurandam adhibuerunt: primi fundarunt Collegia munifico quotannis prouentu: primi liberos ſuos, Regniq; nobilitatem literis & moribus erudiendam Ieſuitis commiſerunt. Præter has cauſſas, propria quædam & peculiaris erat, cur Regem Sebaſtianum vnicè colerent & diligerent: à puero enim educatus, & ab ipſis inſtitutus adeò eos amabat, & viciſsim ab illis obſeruabatur, vt vulgus paſsim diceret, futurum aliquando, vt fieret Ieſuita. Stolidiores igitur & ſtupidiores ipſis brutis animantibus Ieſuitas fuiſſe oportuiſſet, ſi tantum facinus deſignaſſent, & horribiliores omnibus monſtris, quæ Africa monſtrorum fœcunda parit. Quod ſi natura nihil progenerat, niſi interuentu cauſſarum idonearum, agnum oue &

non

non lupa; leonẽ leæna, non oue; calorem igne, non aqua: & si hominum actiones eodem modo ex causis suis existunt, facinora immania ex odio immani, ingentia furta ab eximiis furibus, vno verbo, magna scelera à valde sceleratis & improbis; qua ratione cogitare potes, quo ore dicere, Iesuitas trucidâsse Regem, qui illos amabat, tuebatur, & tã tenerè complectebatur, cui tanquam insigni benefactori suo seruiebant, quem vt patrem obseruabant, & tanquam Regem suum reuerebantur? An non hoc est, procreare aquã ex igne, tigrim ex oue, & parricidium ex amicitia? Quid hoc aliud, quàm mortales & immortales, superos, medios & inferos ludificare, tam splendidè mentiendo & criminando, non allata vlla voluntatum commutatione, nulla odii caussa, nulla spe maioris vtilitatis, nullaq; ratione verisimili?

Dices, auctores illi fuisse, vt bellum Africanum susciperet, traiecto in Africam exercitu. Sed quibus auctoribus hoc dicis? Ministrisne? At neq; tibi, neq; Ministris quisquã, multoq; minùs Iesuitę credere debent, qui respondebunt, Regem illum habuisse suos Consiliarios, à quibus belli suscipiendi & gerendi rationem exquirere, eorundemq; consilio copias nauales cogere, Reges Punicos inuadere, & omnia illa, quę ad Martem spectabant, curare poterat: at Iesuitarum muneris nihil aliud esse potuit, quàm belli iustitiam & æquitatem docere: sed faciamus, pronunciasse iustũ bellum esse, vocem vsq; hanc sententię declarationem consilium, quo motus fuerit Rex ad expeditionem prosequendam, num propterea censeri debet consilium malum & pernicioſum, ob malum & pernicioſum euentum? Num propterea censendi sunt Iesuitę suo illo consilio Regem neci dedisse, & tam funestę cladis auctores fuisse? Haud decet consilium metiri exitu: nam rectum consilium sæpè desinit in finem flebilem, nec tamen idcirco desinit esse consilium

rectum

rectum & laude dignum, multò minùs sceleratum esse incipit. Qui S. Ludouico suaserunt, vt traiiceret in Africam, vbi diem suum obiit, num accusantur à Gallis tanquam auctores mortis illius? minimè: sicuti neq; Iesuitę à Lusitanis, quos à te accusari par non erat, etiamsi aliqua suspicione hac in re laborassent.

CAPVT LXI.

Refutantur aliæ calumniæ ex Lusitania ab Arnaldo allatæ.

EX eodem regno aliam calumniam adfers, Iesuitas videlicet elaborasse, vt Doñus Antonius ex Lusitania eiiceret: *Adeò ꝓsperè*, inquis, *susceptо fungebantur munere, vt statim ab eius morte Antonius electus creatusq; Rex, habitusq; ꝓ tali, ab omnibus planè Regni Ordinibus, toto eiiceretur cõtinenti, concitatis in ipsum vno eodemq; die, inaudita sanè defectione, portubus omnibus maritimis, adeò quidem, vt cogeretur dissimulato habitu supra 400. milliaria pedestri facere itinere.* Teipsum destruis & perdis Arnalde in istis locis incognitis, & semper profundius delaberis in noua mendacia. Iesuitę vocationis suæ memores, controuersiam de successore Regni nunquam fecerunt suam, neque Antonius de Iesuitis hac in parte conquestus fuit, imò Hispani suspectos habuerunt nõnullos Iesuitas, velut fautores Antonij. Impostura igitur est & sycophantia id, quod scribis; quemadmodũ etiam crassam ignorantiam olet, quòd refers de quadringentis milliaribus confectis ab Antonio per continentem versus mare. Nam Lusitania magnitudine Aquitaniam non æquat, & à Meridie ad Septentrionem nõ potest habere centum & 42. milliaria, ab Oriente ad mare non habet 62. etiamsi distantia sumatur à meta remotiore. In qua regione igitur confecit

Ignorantia Arnaldi cum calumnia.

pedes illa quadringenta milliaria & plura? Peragrauitne vno menſe totam Portugaliam bis aut ter, vt celeriùs ad mare perueniret, cùm rectà ire poſſet eò quinque aut ſex diebus? An verò regreſſus eſt ad montes Pyrenæos, ad Orientem, vt nauem conſcenderet Vliſipone, quę eſt ad occaſum? Quanto tempore pedes confecit iſta 400. milliaria, & quidem diſſimulato habitu ſub aliena larua: oportebat minimum inſumere 40. dies: nullone modo potuit equum, ſolatium vię & fugę, tam longo temporis ſpatio ſibi comparare is, qui Rex acclamatus & agnitus fuerat, vt dicis, *à tribus Regni Ordinibus?* Quomodo pedes tantum itineris percurrit? Si dicis, per mare properando ad Terceras; admitto reſponſum; valde tamen myſticè & ænigmaticè loqueris, dum ais, Antonium eò iuiſſe ſine equo in naui: vt peditem eò iuiſſe ſignifices. Subtilius locutus fuiſſes, ſi dixiſſes ipſum 400. milliaria confeciſſe equo ligneo. A vero enim alienum nihil dixiſses, ſi naui inſulas Terceras petiit, quin neceſsitatem & calamitatem profugi clariùs ob oculos poſuiſſes, maiore odio Ieſuitis conflato, poëtasq; in hoc dicendi genere patronos & auctores habuiſſes, qui dicere ſolent, Græcos, qui Troiam exciderunt, eò delatos ingenti equo:

Inſtar montis equum, diuina Palladis arte,
Aeneid. 2. *Ædificant,*

Ait omnium vatum præſtantiſsimus: quid aliud indicatur, quàm numeroſum exercitum ex Græcia magna claſſe ad Troię mœnia appulſum?

Poſt Luſitaniam aduehis nobis haud exiguas merces ex inſula Tercera, quam perluſtraſti ſomniando, paſsus in itinere naufragium modici illius iudicii, quod tibi adhuc ſupererat. En tua verba:

Verba Arnaldi. *Pro Rege Antonio, inquis, ſtabant adhuc inſulæ Terceræ, quantiuis hercle illæ momenti. Incolæ quidem omnes, Religioſi omnes, Franciſcani,*

ciſcani, aliique ſummam Regis præ ſe ferebant obſeruantiam ac reuerentiam: ſolùm Ieſuitæ, quorum inſtinctu reliqua regni defecerant, fulminare verbis in Gallos, & extollere Regem Philippum. Quid deinde? Cùm debuiſſent ſeductores iſti in circumfluentem abiici Oceanum; ſin minùs, certè cunctis eiici inſulis: ſatis viſum fuit ſupplicij, ſi valuis obſtructis ſuo includerentur Clauſtro. Hæcque vt geſta ſunt, prolixè deducuntur in hiſtoria, quæ Genuæ edita. At quid Ieſuitæ poſteà? Vt viſus veniſſe opportunitatis articulus, nocte intempeſta portas obſtructas demoliuntur, hiatui autem opponunt ſanctũ illud Sacramentum altaris, deridentes nimirum Deum Opt. Max. abutentes ſacris myſterijs, pro flabello ſeditionis. Tandem poſtquã Ieſuitarum impulſu & hortatu copias Antonij profligatas, & 500. Franciſcanos neci datos finxeras, his verbis fabulam finis: *Ecce nobis præcepta Ieſuitica: Occidite, trucidate, ſtrangulate, excarnificate.* Mira vbique eſt animi & linguę tuę improbitas & petulantia; mira calumniandi & criminandi impotentia. Si ſummarium conſtitutionum Ieſuiticarum legeras; vt quidẽ legiſſe videri cupis, meminiſſe debebas illius Regulę: *In Societate nec ſit, nec ſentiatur animorum propenſio ad partem alterutram factionis, quæ eſſet fortaſſis inter principes vel Dominos Chriſtianos; ſed ſit potius quidam vniuerſalis amor, qui partes omnes (licèt ſibi inuicem contrariæ ſint) in Domino complectatur.* Quam Regulam ſi Ieſuitę diligenter obſeruarunt; vt ego quidem minimè dubito; quomodo probabile fit Ieſuitas in Gallos & in Dominum Antonium verbis fulminaſſe? Ieſuitę ſuas partes non interponunt; cùm de Regnorum ſucceſſionibus certatur; ſed illud vnum à Deo precibus contendunt, vt ille rerum ſummę præficiatur, à cuius parte ſtet æquitas. Deinde peto abs te, vt paulò explicatius nobis declares, in quãnam Hiſtoria id quod tu hic adfers legeris. Forte in illa quę ex cerebri tui officina prodiit. Hoc vt ſuſpicer, facit, cùm tua in hoc genere incredibilis commentandi in-

di industria, qua nemini facilè cedis ; tum Historia de rebus Lusitanicis , Italicè edita ; quæ longè aliter quàm tu de Iesuitis loquitur, & quantas iniurias pertulerint in collegio Angrensi, quod in Insulis Terceris habebant disertè exponit. Quid verò ageres, si vna negatione omnes calumnias disiicerem.

Nihilominus posito Iesuitas ibidem Collegium habuisse, quodq; illis isthic degentibus Tribunus militum Stroisius cum Gallis inuasisset illius insulæ incolas ; quid propterea probabilitatis ineſt in eo, quod fingis, Gallos victores & superiores inclusisse Iesuitas quatuor muris, Iesuitasq; se ex carcere eripuisse, captosq; capi non potuisse? Quibus munitionibus, quibus armis & subsidiis, quo impetu & assultu effecerunt, vt victores succumberent victis, euentu planè inopinato & inexspectato? Si hoc nulla adhibita commemorabili causſa accidisse dicas, oportet vt fatearis, ingens à Deo pro causa Iesuitarum & innocentibus patratum miraculum, hostibus summo pudore affectis, quippè cælitùs, non humanitùs deuictis. Quod profectò abundè satis est, vt Iesuitæ hoc loco omnibus caluminiis à te sparsis absoluantur.

Sed exposuerunt, inquis, *sanctissimum Sacramentum altaris ad excitandas seditiones.* Verùm hæc res neque ad seditiones exsuscitandas, neque ad tuas criminationes confirmandas valet. Est enim Sacramentum pacis & vnionis: Si dixisses Iesuitas ad arma conclamasse, ad rapinas, & cædes instigasse, armatosque discurrisse, nõ parum verisimilitudinis figmento tuo accessisset; sed ita agere & loqui, vt tu agis & loqueris, nihil aliud est, quàm *Arnaldicè* agere & loqui: perinde facis, ac si diceres, Iesuitas seditionem excitâsse tunc, cùm in genua prouoluti, pectora concutiebant, Deoq; pro pace & salute communi supplices sese coram sanctissimo Euchari-

stiq

ristiæ sacramento prosternebant; quę omnia à seditione cõcitanda, immanè, quantũ discrepent. Dicere etiam, tumultus & turbas cieri tunc, cùm Sanctissimum Sacramentum populo adorandum exponitur, calumnia est hæreticorum & Machiauellistarum, quibus solenne, *seditiosum* existimare omne illud, quod ipsis displicet, etiamsi dictu factuque sit sanctissimum & vtilissimum: quin eò miseriarum iam peruenimus, vt verba facere ex loco superiori contra hæresin, atheissimum hypocrisin, periuria: orare item, confiteri, sodalitates instituere, supplicationes obire, oratoria piè frequentare, fœdera iungere Religionis tuendæ & propagandæ gratia, & id genus alia, iudicio etiam illorum, qui Catholici videri volunt, licèt solo nomine tales sint, censeantur ad seditionem & ad euersionem & perniciem Reipub. pertinere, vt iam impleri videatur illud Isaiæ: *Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Ergo quando filij Israël pressi calamitatibus efferebant arcam fœderis, quando Summus Pontifex secedebat in tabernaculum, quando S. Bernardus manu tenens sanctissimum Sacramentum adiurabat Comitem Pictauensem schismaticum, ad seditiones signum edebatur? Supplicationes & processiones, quas instituerunt Catholici, & quidquid boni deinceps facient ad implorandum auxilium diuinum contra fidei hostes, erit seditio, sententiâ istorum filiorum pacis? Profectò, si in hanc partem omnia interpretemur, quæcunque sancta sunt, profana fient, pietas omnis suspecta, quodùis opus pium & præclarum, odiosum erit; arma spiritualia, quibus pugnat contra hostes Ecclesia, & pleræque cęremoniæ sepelientur & abolebuntur, vt iamdudum Ministri optant; obliterandus erit funditùs cultus diuinus, neque ampliùs sacrum faciendum, ne seditionis suspicionem commoueamus, vti Geneuę factum videmus multisque locis Germanię, in Anglia & alibi, vbi fa-

Fructus Machiauelliſmi.

Isaiæ 5.

1. Reg. 4.

Guill. Abbas in uita S. Bernad.

Theobal. Epiſ. in uita S. Guill.

cere sacrum, crimen læsę maiestatis reputatur.

Sed quid hîc vocas, *excitare seditionem?* Num militibus classicum canere, vt Tribunum Strosium, qui cum suis in insulam penetrabat, fortiter repellerent? Sed hoc casu nihil opus erat cohortatione & celeusmate Iesuitarum; ipsa natura quemuis ad sui defensionem & propugnationem impellit, & milites non solent esse trunci, & caudices, sensus expertes, præcipuè tunc, cùm de capite & vita agitur. Putásne milites cædis & sanguinis sitientes passuros fuisse, cõpressis manibus, vt trucidarentur, nisi sanctissimi Sacramenti aspectu animum recepissent, & nisi Iesuitę tanquam duces & ductores cohortium ponè sequentes effecissent, vt hostibus imperterrito pectore obuiam irent? Putásne, opus fuisse oleum addere igneę militum bili, vt irruentium aduersariorum impetum reprimerent, séque suamq; vitam in summum discrimen adductam defenderent?

Immane mendacium Arnaldi.

Quingenti illi Franciscani trucidati, quingenta sunt mendacia, quinque verbis & paulò pluribus syllabis comprehensa. Vix arbitror in Oceano, qui illas insulas alluit versari balænam tam fœcundam ouis, quàm tuum os mendaciis. Quamùis autem verum esset peremptos fuisse, num propterea à Iesuitarum suasu & impulsu id accidisset? Quale scelus, affirmare, interitum paratum quingentis Catholicis, quingentis Sacerdotibus, quingentis Religiosis? Ministri sunt, Arnalde, qui eiusmodi Catholicorum carnificinam & lanienam suadent & persuadent, qui Sacerdotes & Religiosos execrantur, persequuntur, infamant & trucidant. Nimis horribilis & prodigiosa est tua mentiendi & criminandi cupiditas: hinc opportunè mones, vt, te talia narrante, arrigamus aures: mira enim narras, & digna, quæ audiantur auribus arrectis, neque possent ingenium subire obiectis clathris ferreis, multoque minùs foribus obseratis. Sed dolendum

dum est, aures tam minutas, quales Europeis, non esse satis idoneas & patulas mirificis tuis istis narrationibus capiendis: Veterum Indorum auribus nobis opus esset, quorum altera vtebantur loco lecti, altera tegumenti & stragulí: eiusmodi auribus hîc opus esset, & quidem incrustatis munitísque, vt vocis tuę impetum sustinerent, quæq; os & foramen tam latum & hians haberent, quàm tormentum æneũ grandius & vastius, vt figmentis tuis aditus & initus facilior & expeditior pateret. Hac rerũ præclarissimarum narratione absoluta, lætũ pęana canis, & ad solitas apostrophas & epiphonemata conuersus, inquis: *Eia itaq; insignis atq; indomita Franciæ nobilitas: accingimini tandem & pergite porro non magis exercitus vestros iungere, quàm animos. Dicere solebat Alexander Antipatrum quidem foris albere, at rubere tamen intùs, &c.* Moues nobis risum, Arnalde: Nam tua insigni eloquentia & facundia, nobis ad viuum repræsentas Gallum Indicum, quando in regno suo in orbem sese erectis plumis circumagit, pauonis in morem.

Plin. lib. 3. ca. 13. & lib. 8. c. 3.

CAPVT LXII.

Refelluntur mendacia ex India ab Arnaldo allata.

SED iam videamus, quid ex Indiis & Peru adferas, inde enim aduolas, his verborum monstris onustus: *At subiiciet aliquis, vt fortè Iesuitæ Galliæ damni aliquid intulerint, certè Indis plurimùm profuerunt, multúsq; ibi claruerunt miracula. Imò omnino, & nobis quidem valde notandis: quippe qui ope Castilianorum suorum ferro, & igni vltrà vicies centena millia innocentissimarum animarum peremerint; talium inquam, quas & ipsorummet historia agnellorum nomine insigniit. Paganismi quidem fibras plerasq; exstirparunt, sed non, hercle, conuertendis hominibus illis à Religione nostra alienis, sed eisdem crudelissimè ex-*

Obserua lector impudentiã huius forensis rabulæ.

mè excarnificatis. Hæc de Indiis. De Peru sequentia. *In Peruana regione, publico passim foro, ergastula extruxerant: & ea quidem capacitate, vt mille simul facilè concluderent, ibi milites eorumq; lixæ ac caculæ fidiculis, equuleis, vngulis, laminis candentibus, scuticis denicq; & omni tormentorum genere miseros illos discruciabant, vti vel sic thesauros suos ipsis patefacerent. Quare etiam iidem, si casu, quo euasissent, petitis montibus, sponte se dabant in laqueum, suspensis priùs aut suffocatis, elisisq; iuxta se vxoribus ac paruulis liberis. Quinimò monstra illa tyrannica non secùs ibi venationes instituerunt hominum, quàm apud nos solet ceruorum aprorumque, obiiciendo homines canum instigatarum morsibus, sed & tigribus obiecerunt consumendos, ablegantes melis ceræq; inuestigãdæ caussa in horrẽdos saltus: Tuberonibus item; dum margaritarum cupiditate, adigunt eos ferocientis pelagi maximè deuios tentare sinus.*

Legistine vnquam historiam Indicam? Intellexistine? an memoriæ mandasti? Notasti tempus? an perpendisti quid legeres aut diceres? Tam immaniter & barbarè in barbaros sæuitum non est, nisi ab anno M. D. XXIV. vsq; ad annum M. D. XXXI. quo Carolus V. immanitati & sæuitię finem imposuit, rescripto æquitatis pleno pro Indis dato. Ostendi superiùs, Societatẽ natam anno M. D. XL. si nondum erat anno M. D. XXIV. nec anno M. D. XXXI. quomodo poterat apud Indos tanta crudelitate in miseros debacchari? Et licèt Iesuitæ eodem tempore vixissent, incredibile tamen est, homines professione Religiosos tam effe-

Quando Iesuitæ uenerint in Brasiliam.

ratos fuisse futuros, quàm tu illos depingis. Quòd si non sufficit ista præsumptio & opinio firmata ex hypothesi, sufficiat experientia petita ab anno M. D XLIX. quo in Brasiliam venerunt cum Lusitanis, quos nulla historia tam immanium facinorum insimulat, qui etiam sedecim plus minùs annis posteà cum Hispanis in Peru Mexicum & Floridam nauigarunt, vbi non modò religiosissimorum, sed & humanissi-

manifsimorum nomen & exiſtimationem adepti ſunt. Iſta enim experientia perſpicuè demonſtrat, meras fabulas eſſe, quæcunq; hîc effutiuiſti: nec extitit vllus Hiſtoricus, qui vel minimę crudelitatis in Indos exercitæ Ieſuitas notet: Imò non pauci tuę ſectę crebro commendant charitatem & ſtudia Ieſuitarum in illos Paganos. Qua igitur fronte, quo ſtilo, quo calamo talia chartis illinere audes? Qua mente dicis, Ieſuitas vltra vicies centena millia capitum innocentiſsimorum perdidiſſe? quæſtiones publicas exercuiſſe? venatum iuiſſe homines, eo modo, quo itur venatum ceruos? Perhorreſco perpendens improbitatem & nequitiam tuam incredibilem, ſtantq; comæ, & vox faucibus intercluditur, dum hæc lego. Erátne hæc tibi ſcribenti contra Ieſuitas vis & facultas recipiendi animam, & reſpirandi? Annon facies expalluit? Annon ex manibus elabebatur calamus? Annon in calamo exareſcebat atramentum? Hæc ſola de Indis narratio, prodit, te hominem mendacem & ſycophantam eſſe mentis planè amentis & proflígatę, quiq; níhíl penſi habeat ſcribere & dícere falſiſsima & turpiſsima, ſine reſpectu vel ſui, vel alieni honoris, dummodò calumniandi copioſa materia ſubminiſtretur.

Quando ſuprà mentiebaris, quingentos Franciſcanos operâ Ieſuitarum interfectos, exiſtimare quis iure poterat, te iam ad ſupremum mendaciorum quaſi culmen adſcendiſſe: ſed *plus vltrà* ſemper progrederis: à quingentis ad vicies centena millia procedis. Bone Deus, adeone extra veri honeſtiq; orbitam exceſsiſti, vt linguam laxares effutiendis tã manifeſtis calumniis & ſycophantiis in Ieſuitas? Omnium Hiſtoricorum & librorum monumenta quinq; orbis partes, & totum noſtrum æuum laudant, prædicant, extollunt Ieſuitarum in conuertendis Indis labores, ſtudium, & induſtriam ſuſceptam non ſine ingenti omnium Chriſtianorum

gaudio & ſolatio. Et tu tam effrons es, vt te non pudeat tot & talia mendacia proferre in conſpectu totius orbis, quantumuis licèt repugnante & tremente tua conſcientia? Nouit & lætatur Iapponia, Ieſuitarum ſudore, vltra vicies centena millia hominum ad fidem Catholicam conuerſa, & in præſenti iſthic pluſquàm quadringenta millia hominum in Chriſto per Baptiſma renatorum, vitam Chriſtianis legibus dignam agere.

Ieſuitarũ in India labores & fructus.

Calecutij, vbi Cacodęmõ aſpectabili forma ſeſe adorandũ exhibebat, formâ adeò terrifica, vt vix vllo penicillo exprimi poſſet, multę hominũ myriades, ex faucibus ſæuiſſimi illius Tyranni ereptę, Chriſto iã ſeruiunt, crucẽq; colunt, idolo, eò vnde venerat, remiſſo. Goẽnſis etiã ora, quę Franciſci Xauerij generoſi illius athletę, reliquias multis miraculis illuſtres poſſidet, Ieſuitis ſecundùm Deũ ſuam ſalutẽ fert acceptã Chriſtiani, Palæſtinę, Græcię, Ægypti, multarũq; partiũ Africæ, Ieſuitarum opem non modò ſenſerunt, ſed & paſſim prædicant. Polonia & maximè Cracouia, Regni caput, videt & miratur Ieſuitas animabus ad obſequium Dei, non ad exitium capiendis ſemper intentos, hæreſibusq; expugnandis perpetuò occupatos, quorum plures quàm duodecim toto cælo diuerſæ aliquando non modò in vna regione, ſed etiam in vna vrbe, imò etiam in eadem familia reperiuntur: tu tamen adeò effrons es, vt Ieſuitas multa hominum millia trucidaſſe dicas. Hungaria, Tranſyluania, Germania ſuperior & inferior, Flandria, & totus Septẽtrio grata mente prædicat beneficia à Ieſuitis accepta, & Eccleſiæ Dei præſtita. Prætereo Hiſpaniam, de qua ne verbulũ quidem audire potes: prætereo Galliam, Italiam, Luſitaniam; te per nouos & antehac incognitos mundos vagantem ſequar, per Braſiliam inquam, Mexicum, Peru, finitimasque regiones, quæ dæmonis tyrannide, vt in Calecutio oppreſ-

ſæ,

sæ, eidem veteratori innumeros homines sacrificare solebãt, vt non tantùm animabus, sed & corporibus exitium adferret: omnes istæ prouinciæ norunt & testantur, Iesuitas tot ibi doctrinæ, pietatis, & benignitatis monumenta statuisse, totq; trophęa, victorię reportatæ argumenta, erexisse, quot sunt loca, quę instituerunt. Indiq; neophyti, has ob causas Iesuitas tanto amore prosequũtur, & tanta veneratione colunt, vt cùm ad se venturos audiunt, effusi ex oppidis pagisque suis, & in vnum agmen coacti, obuiam procedant, tanta amoris & reuerentiæ significatione, quanta fieri potest maxima: Neque id Christiani duntaxat faciunt, sed & ethnici, hominesq; planè sylvestres & efferati, qui cùm sæpè in Iesuitas per auia & deuia nemorum oberrantes incidissent, non modò nihil damni intulerunt, sed & magno amore exceptos benignè habuerunt, & in viam reduxerunt: omnibusq; Indis compertum est, se à Iesuitis amari, & variis subsidiis subleuari, non modò quoad animam, sed etiã quoad corpus, quippe quorum precibus & interuentu sæpè violentas militum manus euaserint.

Amor Indorum in Iesuitas.

Popilinierus etiam, vt multos alios Historicos, eosq; Catholicos præteream, innocentię Iesuitarum suffragatur, vereq; scribit, crudelitatem illam, qua Hispani in illis oris vsi, displicuisse Iesuitis, cæterisq; Ecclesiasticis, quos secum ducebant, semperq; lenitatem, mansuetudinem & clementiam suasisse; tu tamen his publicis testimoniis, his tam præclaris charitatis & Christianę benignitatis actionibus totũ terrarum orbem fulgore suo illustrantibus, nihil absterritus, persistis constanter in tuo mentiendi & calumniandi proposito; ita, vt non verearis de Iesuitis ea mandare literis, quæ vix fidem mererentur, etiamsi Tartaris, Mammalucis, Cannibalis, & id genus aliis omni humanitatis sensu destitutis tribuerentur.

CAPVT LXIII.

Cur Arnaldus adeo oderit Iesuitas.

SED vnde tanta tibi in Iesuitas acerbissimi fellis copia? vnde istud odium tam inexsaturabile, quo in illos exardescis? Nescio quis sis, neque ante tuam Inuectiuam quidquam de te audieram: arbitror tamen, nihil tibi à Iesuitis iniurię illatum, quod te tantoperè exstimularet, & ad Iesuitas inuadendos excitaret: sed video manifestè, odium tuum non in vnum, sed in omnes ferri, atque adeò non *personale*, sed commune esse, neque ex caussa priuata nasci, sed ex publica. Odisti Iesuitas odio illo generali, quo improbi bonos, quo hæretici Catholicos, quo lupi oues. Istud odium vlulatus tuos elicit, spumasq; tibi concit, & dentes ad mordendum & dilacerandum exacuit, osq; distorquet, vt aliquo tandem modo Iesuitarum famę & existimationi labem aspergas. Odiū hæreticorum & tuum eiusdem rationis & classis sunt, & ab vno eodemque auctore profecta, & in eadem officina ab eodem Vulcano cusa. Odio prosequuntur omnes veri nominis Catholicos, magisq; adhuc Religiosos, sed præ cæteris omnibus Iesuitas, hinc omnes suas disputationes omnes chartas, omnia sua mendacia, omnia veneni genera, omnia fulmina & tonitrua in Iesuitas effundunt, potiori temporis parte inducias faciunt cum cæteris familiis Ecclesiæ Dei, cum ista nunquam: doctrinam Ecclesię Catholicę non ampliùs vocant nomine suo, *doctrinam Catholicam*; sed *doctrinam Iesuiticam*: Iesuitę meta sunt & scopus, ad quem hæretici omnem furoris impetum destinant, in quibus solis ipsam quoque Ecclesiam toto mundo diffusam expugnare, vel certè oppugnare velle videntur, quod tu in Inuectiua tua, velut

velut in quadam epitome, clarissimè ostendisti. Neq; enim contra alias Religiones quidquam dixisti, etiamsi omnes debellent hæreticos, omnesque tibi aduersentur, in solos Iesuitas virus linguæ & mentis tuę eiaculatus es.

Caussa istius odij hæreticorum & tui inde oritur, quia Iesuitę & hæretici hodierni ex diametro opponuntur; eodem tempore prodierunt, fine & vsu contrario; in eadem familia progeniti sunt, contrariis tamen stirpibus & stemmatis, & in Christiana Repub. effectuum planè repugnantium auctores sunt, mirabili supremi rerum moderatoris sapientia; qua factum, vt in hoc vniuerso procrearentur res, inter quas capitales & indesinentes inimicitię, vt vna aduersus aliam homini remedio & saluti, omnes verò ad amplificationem diuinę maiestatis & potentiæ essent: stannum aduersatur omnibus metallis, neque coniungi potest aliis, siue auro, siue argento, siue æri, siue cuicunque alteri, omnia corrumpit societate sua. Caulis & quercus tantas inimicitias exercent, vt si in eodem loco plantẽtur, necesse sit alteram emori. Africa serpentum ferax est, sed ciconias, aliasque id genus aues longis inuisas colubris submittit in subsidium. Mures & glires, fures domestici, in ipsis ædibus & sedibus nostris gignuntur; sed in iisdem quoque generatur & alitur catus, cui à natura & primo ortu indoles & anima data, quibus latebras perscrutetur, & expeditionem per omnes domus angulos suscipiat, & velut rerum capitalium vindex, furtaque furum & prædas prædonum, tempestiuis supplicijs coẽrceat & mulctet. Condidit Deus, teste S. Augustino, has antitheses & naturas oppositas, gratas & ingratas, iucundas & iniucundas, vtiles & noxias, vt magis eluceseeret boni splendor oppositu mali, & excellentia pulchritudinis, obiectu turpitudinis, vtque mundo innotescerent, Deum vt omnipotentem, ita etiam optimum & sapientissimum esse, qui

Lib. 11. de ciuit. ca. 18. D. Basili. homili. 9. Hexame.

qui omni malo antidotum parare & opponère nouerit, cuiuſque ſingulari prouidentia bonum non modo in eſſentia & natura cuiuſque creaturę appareat, ſed etiam in ordine & relatione mutua vnius ad alteram, eo modo quo in ſymphonia diuerſę voces ad ſe mutuò ordinantur: quælibet ſeorſim etiam ſpectata bona eſt, ſed melior & gratior fit concentus ex illis omnibus conflatus.

CAPVT LXIV.

Deum ſemper oppoſuiſſe oppugnatoribus Religionis propugnatores.

DEVS homines in ſocietate humana, & maximè in Eccleſia, non efficit improbos, ſed improbos in ea eſſe ſinit. Nam hominem regit naturę ſuę conuenienter, tribuens ei arbitrii libertatem, vt aut virtutem ſequatur, aut vitium: quo fit, vt nonnulli eligant bonum, & fiunt boni: alii malum, & mali euadunt, ratione illius electionis: Sed Deus adeò bonus eſt, adeò potēs, adeò ſapiens, vt quemadmodum in rebus naturalibus ab initio mundi præparauit naturaliter cōtraria media contra malum naturale: ita etiam in ſua Eccleſia, quando permittit in ea aliquod malum morale & ſpirituale oriri, de remedio etiam ſine mora prouideat, & inde eliciat, quod & ad vtilitatem proborum, & ad ſplēdorem ſui honoris faciat, & niſi poſſet mali damna reſarcire, & ex malo bonum elicere, neutiquam illud permitteret.

Temporibus Cæſaris Auguſti, quibus ob ſcelera & flagitia mortalium, Dei nutu & permiſſu, Imperium Romanū, hoc eſt, Ethniciſmus & Idololatria in flore erat, totusq; mūdus denſiſsima caligine circumfuſus, re quauis propemodum ad diuinitatem per ſuam ſtultitiam ęuecta, Deo vno & vero

vero deserto, omnipotens ille filium suum hominem factum & mortali carne indutum in mundum misit, solem & lucem totius mundi, vt fulgore suo tenebras illas dissiceret, suaq; dextera omnipotente vniuersum illud cõmentitiorum Numinum agmen debellaret & profligaret, stygisque regnum prædę & direptioni exponeret, & veritatem tamdiu à terris exulem reduceret, vinculisque solutis humanum genus in libertatem assereret. Dehinc triginta tribus annis propemodum elapsis, permisit patrari scelus, quo nullum horribilius neque erit, neque ab hominum memoria fuit, necem, inquam vnigeniti sui filij, quod facinus in se quasi conclusam gerebat omnium facinorum magnitudinem & atrocitatem. Quemadmodum enim in Repub. nihil scelestius, quàm ipsius Reipub. capiti exitium moliri, tandemque reipsa afferre: ita etiam nihil detestabilius vnquam cogitatũ, dictum, factumúe fuit, quàm filio Dei violentas manus inijcere, & ad supplicium tam infame & probrosum rapere, ita, vt meritò quis affirmet, peccatum hoc & hominum & Angelorum intelligentiam longissimo interuallo superare. Ex hoc tamen summo & inenarrabili malo elicuit Deus summũ bonum, hoc est, redemptionem salutemque mundi & gloriam cæli.

Trecentis circiter annis post aduentum & mortem Saluatoris nostri, desciuerunt ab Ecclesia, & velut lolium ex fœcundo agro enati sunt Ariani. His pestibus misit Deus obuiam S. Basilium & similes, S. Antonium, S. Athanasiũ, S. Hilarium. Paulò pòst exorti sunt Iouinianus, Manichæi, & Pelagiani: istis oppositi sunt S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, & alii huius classis generosi, & infracta virtute milites Ecclesię Catholicę. Deinde exstiterunt Gothi prædones mundi, & generale diluuium orbis terrę Sueuiani, Chrisostolytæ, & aliæ labes & maculæ Christiani nominis,

S. Basilius & alij oppositi Arianis.

S. Augu. Hier. Ambro. & alij Manichæis & alijs.

S. Benedictus. minis, quibus coërcendis excitatus est magnus ille Benedictus, Pater innumerabiliũ Antistitum & Religiosorum Ecclesię sanctę, qui & ipsi aduersus fidei hostes multis rebus supra naturę vim & ordinem patratis, Ecclesiam mirificè illustrarunt.

Paulò pòst vt Ecclesiastica disciplina, & nominatim Monastica intepescere, & zizania vanitatis fermè triticum prę-focare cæperunt, excitauit Deus magnum illum cælestium

S. Bruno. rerum indagatorem & contemplatorem S. Brunonem, quẽ infinitis quoq; filiis spiritualibus auxit, qui deserta vrbium, tanquam satores diuinitùs missi conferrent, rerumq; superarum contemplationem excolerent, contra insanas hominũ malorum; & nihil minùs, quàm de cælo solicitorum cogitationes. Non diu ab exortu & aduentu huius sancti athletę, excitauit dæmon in Ecclesia magna schismata, magnasque dissensiones, quibus sedandis misit Deus S. Bernardum, & illam cui à Bernardo nomen familiam. Non longo pòst tẽpore prodierunt Albigenses, quibus debellandis suscitauit Deus S. Dominicum & S. Franciscum, duo illa præclara Ecclesiæ lumina.

Origo Societatis IESV. Nostro tempore, vt viri sapientes obseruant, & maximè D. Genebrardus, Archiepiscopus Aquensis in Prouincia, cùm Dominus permisisset spargi venenum, mox etiam antidotum dedit. Martinus Lutherus ab Ecclesia discessit, vt Ecclesiam impugnaret; Ignatius de Loiola ex mundo recessit, vt mundum debellaret. Vterque ab Ecclesia initio renatus & genitus in iisdem visceribus, ambo ex eodem spirituali vtero procreati, & quidem eodem tempore, vt gemini Esau & Iacob. Lutherus, vt Esau factus grandior à dæmone instinctus & impulsus est, vt Ecclesię turbo fieret, animabusq; perdendis, & ad sempiternum exitium detrudendis administer. Ignatius tanquam Iacob, & indefessus miles eli-

Antitheses Ignatij de Loiola, & Martini Lutheri.

les éligitur à Deo, vt pro Ecclesia pugnet, animarumq; saluti procurandę diligenter aduigilet. Lutherus pacificum Religionis portum deserit, vt turbis & tumultibus mundi sese implicet, vel potiùs vt mundum turbis & seditionibus cõpleat. Ignatius deserit arma temporalia & castra mundi, cùm vt ipse pacem spiritualem comparet, tum vt eandem aliis annunciet. Alter valedicit vitę Monasticę, & cultus victusq; asperitatem commutat cum deliciis & voluptatibus carnis, à ieiunio ad epulas, ab humilitate ad vanitatem, à paupertate ad auaritiam, ab arcta disciplina ad dissolutionẽ gradum faciens; & vt omnem obtemperandi legem & voluntatem tollat, imò pedibus conculcet, vt absque metu & rubore in omne turpitudinis genus sese immergat, bellum indicit supremo Ecclesię capiti, & in illud totis viribus & copiis irruit. Ignatius abdicat se deliciis, honoribus, & diuitijs huius vitę, & voto nuncupato adiungit se Imperatori suo & capiti Ecclesię, hominesque sub signo Vicarij Christi pro Ecclesię bono militaturos conscribit. Lutherus in campum educit phantasmata & deliramenta Arij, Manichæi, Donati, & omnium veterum Diaboli satellitum, nouumq; exercitum contra Deum cogit. Ignatius copias suas colligit, & præeuntibus Sanctis Ecclesię Doctoribus eo ordine disponit, qui & ad Lutherum fugandum, & ad omnes Lutheranas cohortes proligandas maximè conducit. Lutherus conatur mundum implere improbis hominibus, & quidquid in Religionis horto boni satum & eductum est, id stirpitùs euellere: At Ignatius in id incumbit, vt Religiosę familię, hoc est, virtutis & eruditionis seminaria, passim instituantur. Porrò quemadmodum duo hæc capita fuerunt opposita: ita etiam membra horum capitum studia in contraria tendunt. Hæretici concionibus, libris, colloquiis, mendacia passim spargunt vastandę Ecclesię. Iesuitæ concionibus,

libris, & colloquiis doctrinam Christi disseminant, Ecclesię subleuandę & conseruandę. Ecce causas odij & hostilis animi hæreticorum in Iesuitas: Ecce radium diuinę sapientię, quę tam potens, vt malo exorto statim præparet pharmacum & antidotum, ex ipsoque malo tantam boni copiam procreet.

Quam ob rem hæreticus amare nequit Iesuitam, nec Iesuita hæreticum, nisi resipiscat. Ciconia citiùs cum colubris pacem inibit, elephas cũ draconibus, agni cum lupis, quàm Iesuitę cum Ministris & hæreticis. Hinc quicunq; spiritu Dei acti in hanc Societatem inscribuntur, singularem præ se ferunt alacritatem hæreticos expugnandi, non secùs atq; generosiores canes venatici, quibus à natura insita cupiditas decertandi cum lupis. Mutuo igitur odio in se exardescunt, non tamen sine discrimine. Nam hæreticorum odium mali animi peius germen, finem quoq; & scopum malum spectat: ab odio enim veritatis proficiscitur; quam ita exosam habent, vt solis lucem noctuæ & vlulę: hinc omnia sua eò referunt, vt veritatem tandem obruant & excindant; etiamsi fortassis multi sint, qui hoc adeò expresse & in particulari apud animum suum non constituant: sed hoc tamen nõ obstat; conspirant enim saltem tacitè omnes ad veritatis expugnationem; idq; à dæmone incitati, sicut equus ab equite. At Iesuitarum odium in hæreticos diuinis legibus conforme est: non enim aliunde procedit, quàm ex turpitudine & deformitate vitij: nec in personam tendit, sed in vitiũ personę, quam hæresis veneno suo & tabe infecit. Odium hæreticorum in Iesuitas, simile est furori phreneticorum in suum Medicum: Iesuitarum odium in illos, simile est odio Medici in ægrum, quem quidem cruciat & exagitat sectione, vstione, varia potione, & id genus aliis medendi modis; sed eo fine & consilio, vt depulso morbo persanetur. Quare mi-

Quale sit odiũ Iesuitarum in Hæreticos.

Quale odium Hæreticorum in Iesuitas.

re mirandum non est, cur in Iesuitas rabiosi instar canis latratu & morsu insurgas: spiritus, quo agitaris, & natura, quę tibi sorte infelici obuenit, directè spiritui & Iesuitarum naturę aduersatur. Nec mirum, si Iesuitę tanto conatu hæreseon, potissimùm huius ætatis, exstirpationem & abolitionẽ vrgeant: id enim agunt instinctu illius spiritus, quem à Deo acceperunt, hæresibus cunctis contrarium, & ad illas de medio tollendas planè accõmodatum. Debellare enim hæreses, Iesuitarum labor, certamen & trophæum est. Nec mirum tot actionum generibus Iesuitas occupari, & quasi cuniculis actis, Ministros, totumq; ministerium subuertere velle, cùm vt Ministri dicunt, *omnibus rebus sese immisceant, omnia peruertant & corrumpant.*

CAPVT LXV.

Satis fit querelis quorundam Catholicorum.

ILLVD vehementer miror, esse Catholicos, qui fateantur quidem, Iesuitas Reipub. multum vtilitatis adferre; conquerantur tamen, quòd in rerũ administratione nimis multa sibi sumant, quasi soli omnia agere & regere velint. Quorum oratio non longè abit ab oratione hæreticorum, qui palàm & sine verborum inuolucris Iesuitas calumniantur. At isti dicunt; *Iesuitas omnibus actionibus sese immiscere*, & sic calumniantur tectè & quasi sub velo. Illorum oratio calumnia est, & quidem admodum dentata; horum, detractio, leuioris velut ictus & morsus. Hostium tamen nostrorum Catholici isti caussam incõsideratè & imprudenter agunt, quibus nihil gratius, quàm Iesuitas videre omni hominum generi exosos & inuisos. Iesuitę multa quidem munera sibi sumpserunt, & exequuntur etiam opportunè, instituunt iuuentutem, qui labor non mo-

dò Deo gratissimus, sed etiam his temporibus, quamùis arduus & difficilis sit, vtilissimus & maximè necessarius ad stabilienda Catholicę fidei dogmata, & ad hæresin in ipsis suis fibris & radicibus adhuc delitescētem exscindendam.

Munera Iesuitarum. Nec fugiunt munus tradendę Christianæ doctrinę, concionandi, confessiones audiendi, ægros, afflictos, & eos, qui in carcere, consolandi, pauperum egestatem subleuandi, concordiamq; inter dissidentes redintegrandi. Conspiciuntur Iesuitæ in scholis, in templis, in cathedris, in carceribus, in triremibus, inter Catholicos, hæreticos, paganos, Turcas, vno verbo vbiq; vt in omnibus prodesse possint.

Quod si hæc & similia, quæ ad Dei gloriam animarumq; salutem agunt, sancta sunt, & verè Christiana professione digna opera; par est, vt Societatem hanc tam occupatam pro bono communi, magni pendant; hosq; tam pios conatus Iesuitarum, potiùs laudibus extollant, & vbiq; prædicent, quàm arrogantię & superfluę operæ notâ insigniant. Non sedent Iesuitæ ad clauum Reipub. nec gubernacula tenent; sed ministrant, fugiuntq; non modo ciuile, sed & Ecclesiasticum regimen. Neque impediunt, quò minùs quiuis alius, cui ea mens, iisdem actionibus insistat & insudet: nec tam ex suo, quàm ex aliorum vsu & fructu tantos labores suscipiunt: ad ipsos præter laborem vix quicquam redit; totus prouentus redundat ad alios. Quis vnquam paterfamilias horto suo fœcunditatem crimini dedit? Quę ciuitas vnquam exprobrauit Medicis sedulitatem, qua ægros curant, & quidem gratis, nulla spe stipendii? Quantò minùs igitur Catholici indignari deberent ob fructus, quos Societatis hortus toti Reip. parit, & ob medelam, qua medentur infirmis.

At immiscent se statui, siue Reipub. ciuilis negotiis. Status iste nō multis ab annis auctoritate & existimatione multum creuit.

Nam

Nam ex sententia *Machiauellistarum* cælum & terram complectitur, & præ illo nihili faciunt ipsum Deum, & si Deus impios horum conatus non retundat, nouam turrim Babylonicam in ipsis priscæ illius ruderibus & ruinis struent, spe Deum de throno suo deturbandi, & in locum illius *statum suum* substituendi. Status iste omnia ad se non trahit, sed rapit, totumq; mundum legibus frenare molitur, nec patiuntur isti politici & *statiani* (nouis enim sectis noua cudenda sunt cognomenta) vt quidquam suscipiatur pro salute animę, pro fide, pro Religione, nisi cum respectu ad politiam, aut statum; si quid dicatur, agaturue contra hæresin, contra atheismum, contra alia scelera, & nisi oratio saccaro, melle, papauere, & sesamo condita & oblita adhibeatur, in *statum* scelus inexpiabile committitur.

At quid monstri hactenus inuisi & inauditi iste status est? *Quid sit status.* Aspiciamus propiùs, ne si fortè Iesuitę eius negotiis sese immisceant, in istorum tanto zelo flagrantium indignationē incurrant. Si status nomine significatur regimē supremum temporale, Monarchicum, Aristocraticum, aut Democraticum, aut regimen subalternum Conestabilis, aut equitum Magistri, Gubernatoris, Cancellarij, Præsidis, aut alterius ex horum numero; arbitror neminem tam impudentem fore, qui dicere audeat, Iesuitas in officia & functiones horū statuum inuolare, cùm ab his arceantur, & cōmunibus Ecclesię legibus, & suę Societatis institutis. *Nemo*, inquit S. Paulus, *militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Ministri hac ratione statibus sese ingerunt, nam bella mouerunt, milites cōscripserunt, pecuniam exegerunt, & similia munia ad statum & politiam propriè spectantia obierunt. Commentaria Domini de Monluc, Tribuni militum, fideliter hoc posteritati testantur. Iesuitę non immiscent se huiusmodi negotiis: quòd si nonnunquam reperiantur in castris, viuunt & agūt *2. Tim. 2.*

ibi, non vt milites, sed vt Religiosi. Edmondus Augerius erat in castris, cùm Rupella obsideretur mandato Regis Caroli; non vt thorace aheno tectus, gladioq; cinctus militaret, sed vt Sacrosanctum Missæ sacrificium celebraret, vt concionaretur, vt ægros & moribundos re & verbis consolaretur, vtq; ex regulę suæ præscripto summis & infimis, nobilibus & ignobilibus, ope sua præsto esset.

Domi verò & in vrbibus nihilo plus de Magistratuũ officijs obeundis cogitant, sed quẽq; munere suo fungi sinũt, id vnũ curantes, ne ipsi suis desint partibus. Quòd si alios cohortanť, vt vitã rectè instituant, suasq; actiones ad Dei gloriam referant: si vitia eorum, quibus politię cura commissa prætextuq; status & politię Religionem pessundant, redarguunt: si Ecclesię variis calamitatibus præssę, totq; ærumnis exercitę, opem pro viribus ferunt; id non est, status & Reipub. munia sibi arrogare, sed boni Catholici instar cõmodis Ecclesię seruire, sine qua politia & cura status in Repub. nihil aliud est, quàm corpus sine anima. Ad hoc autem præstandum obligantur omnes, qui Christiani sunt nõ modò voce, sed & re, potissimùm illi, qui aliquem dignitatis gradum in Ecclesia obtinent, nisi tandem damnari velint tanquam desides & præuaricatores in domo Dei, & in ordinem illorum coniici, quos Dominus *Mercenarios* appellat, qui viso lupo fugam arripiunt, deserto in mediis periculis grege. S. Athanasius Ecclesiasticus erat. S. Bernardus Religiosus; quorum vocatio & vacatio tota spiritualis; nihilominus cùm viderent hæreses & schismata, quę Ecclesiam diuexabant, loquebantur, scribebant, obsistebant, & nihil intentatum relinquebant, vt Religionem tuerentur, quam scelerati euertere conabantur. Si Iesuitę suæ duntaxat vtilitatis cura tangerentur, optarent vtique, vt ab omnibus negotiis expediti, quiete, & sine cuiusquam interpellatione Deo,

Ioan. 10.

sacra-

sacrarum literarum meditationi, cælestium q; rerum contẽplationi vacarent; sed tempus arma poscit: nubila, grando tempestates, quibus ecclesia conflictatur, serenitatem istam, secessum tam quietum minimè concedunt. Remus potiùs sumendus, & ars nautica factitanda est, vt nauiculę Petri tantis fluctibus agitatę subsidij nonnihil afferant. Permulta agunt, quibus profectò tanquam iniucundis supersederent, nisi necessitas non otiosos, sed negotiosos flagitaret. Quidquid tamen agunt, nihil in *statum* & politiam committunt; cùm vbiq; instituto suo conuenienter actiones suas instituant pro defensione Ecclesię; neque dant Reipub. iustam de se conquerendi caussam. Cogitent igitur Catholici illi, etiam atq; etiam rogo, quid sibi velint, cùm Iesuitas tanquam nimium sibi de alienis negotiis vendicantes traducunt; caueantque ne ipsimet fidem suam tam parui æstimando, Rempub. perdant, neue quærendo quietem terrenam, spe sua falsi, æternam quoque amittant.

Aliorum opinio de Iesuitis.

Sed alios inuenire est, qui magis cum hæreticis sese conformantes, fatentur quidem, Iesuitas esse Reipub. vtiles; conducere tamen pacis custodiendę caussa, vt ex Regno quantocyùs abeant: non enim eorum abitu, mundum illapsum ruiturum, mille enim quingentis annis absque Iesuitarum operâ mortales vixisse, victuros vtique sine eadem imposterum quoque. Isti largiuntur aduersariis liberaliter, quicquid in optatis habent: sed si Iesuitę tempestatem, quę extitit, excitarunt, credo tam imprudentes non fore, vt discessum, vel etiam deiectionem in mare *Ionæ instar*, abnuant: quod in Tercera ipsis contigisse paulò anteà optabas. Sed nego, bellorum fuisse auctores; imò affirmo, per ipsos, quà licuit, cohibitum, & sopitum cruentum illum Martis impetum.

Nullum adhuc in Gallia habebant Collegium, anno M. D. LX.

Caluiniſtæ ſunt auctores bellorum in Gallia.

D. LX. quando Gallia ſanguine ciuili madebat, & miſeran do incolarum ſuorum interitu tabeſcebat; quando omnes omnium locorum anguli, & ipſi aëris latiſsimè patentes cãpi reſonabant, non tantùm armorum ſtrepitu, ſed etiam cla moribus & eiulatibus virginum, viduarum, ſenum, infantium, Sacerdotum, laicorum, & innumeræ multitudinis; quibus omnibus laniena pluſquam barbarica parata erat, quando Religio & Gallia in cineribus & ruinis templorum & altarium ſuorum penè ſepultæ erant, vt veſtigia, quæ adhuc extant, abundè teſtantur. Ieſuitæ non excitarunt illas tempeſtates, nec illa incendia, nec illas furias terreſtres, ſed hæretici, qui ad perdendas, & ſempiterno exitio demergẽdas animas, longè tetriores & immaniores peſtes, quàm ad perniciem corporum, ex ipſis inferorum receſsibus euocaſſent, niſi Deus graſſantium furori Ieſuitas, alioſq; viros probos obiecisſet, ne vlteriùs procederent. Et qui dicunt, facilem fore iacturam Ieſuitarum; illi ſeculi noſtri calamitates neq; ſatis capiunt, neq; etiam diuinam prouidentiam nutantibus & labentibus rebus huiuſmodi auxiliatores (vt alios Religioſos anteactis temporibus) ſubmittere ſolitam ſatis aſſequuntur. Nam licèt Ieſuitarum opera ſolis ſcholarum parietibus circumſcriberetur; tamen abſentibus Ieſuitis, experientia docebit, quantum beneficium Gallicę iuuentuti contulerit Deus, quando tales Magiſtros miſit, quales ſanctus ille & cumprimis eruditus vir Ioannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, vehementer optabat, ad inſtaurationem illius Academiæ, totiuſq; Eccleſiæ. Ducenti iam propemodum interfluxerunt anni. Clarè etiam conſtabit, quàm difficile ſit, iuuentutem ſeculo tam deprauato rectè informare, & in officio continere, quamq; ſolertes & induſtrij hac in re aliarum profeſsionum Magiſtri ſint futuri. Si Ieſuitæ tanta lectionum frequentia, confeſsionibus, exhortationibus, admoniti-

Votum Ioan. Gerſonis.

monitionibus, industria & solicitudine indefessa, studio perenni, totq; Christianæ charitatis exercitationibus lasciuientis ętatis proteruiam vix intra recti limites coêrcere potuerunt; quid agent Doctores seculares, quibus nec eiusmodi mens, nec talia media & remedia, quorum potior pars potiùs priuata, quàm publica commoda quærit?

Quòd si hanc viam ingredi, iisque, quibus anteà caruimus, facilè etiam imposterum nos carituros asserere velimus, antiquis tenebris denuò inuoluemur. Caruit Ecclesia trecentis annis S. Basilio, S. Gregorio Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Hieronymo, & id genus aliis Doctoribus & Religiosis; quingentis annis S. Benedicto & ab ipso cõdita familia: plusquàm mille annis S. Bernardo & Bernardinis, plusquàm mille ducentis annis S. Dominico, S. Francisco vnâ cum Dominicanis & Franciscanis: Annę igitur Deo huiusmodi adiutores Ecclesiæ subministrante quisquã prudens dicere potuisset, nihil opus est his auxiliis & suppetiis? mundum enim eis hactenus caruisse, & futuris etiam ætatibus sine incommodo carere posse; neq; enim ab his Vniuersi salutem pendere? Neq; alicuius roboris est hoc argumentum: *Caruimus anteà hoc vel illo; sine damno igitur eodem posthac quoq; carebimus:* quia nouis necessitatibus, opus est nouis auxiliis. Iuuenis florente æuo multis caret, quibus senio iam confectus nõ sine incommodo careret. Mundo adhuc recenti & à suis primordiis non longè progresso, moris non erat vsque ad tempora Noë vesci carnibus, vel adhibere potui vinum. Cur mos hic antiquatus desiit? Cur Medici profitentur carnem nostram sine carnis esu deficere, vinumq; conuiuiorum animam esse? Nauium vsus incognitus mansit vsq; ad ætatem Noè. Homeri & Virgilij memoria nesciebatur vsus & vtilitas *acus nauticæ*, vt altum classis secura teneret: hinc littus semper legebant, vt videre licèt in ve-

terum nauigationibus, etiam Æneę, quę à Virgilio descripta. Num propterea relegenda sunt littora, magnetisq; inuentum diuinum, nauesq; repudiandæ, dicendumque, iis nihil opus esse, vtpote quibus mundus multis annorum cẽturijs caruerit? Non dubito, quin Gallia consistere possit sine Iesuitis: Caruit rebus magis necessariis, sed suo damno: Caruit quingentis annis cognitione Dei, sicut Turcia caret. Christo, Anglia & regiones hæreticæ fide Catholica. Fides non pendet à Iesuitis, quippe illis antiquior, & mater & Domina eorum; pro fide tamen conseruanda & amplificanda Iesuitę nullos labores recusant. *Deus*, inquies, *alios in illorum locum sufficiet.* Potest id quidem, quia omnipotens; sed fortè non substituet, vt puniat ingratos, qui tanta leuitate repudiarunt, quos ipse vt idoneos Ecclesiæ suę defensores miserat. Nihil sine caussa facit, neque quidquam etiam mutatur absq; caussa. Iudicauit necessarium, vt Ecclesię suæ Iesuitas mitteret in hoc mundi occasu. Qui hoc consilium & auxilium contemnent, contemnentur vicissim à Deo, qui in interitu quoque illorum ridebit, & Iesuitas aliò transferet, vt ingrati pœnas luant, priuati & fructu & vmbra arboris illius, quę vberes fructus in aliud trãslata solum proferet. Iesuitę quidem facilè carebunt Gallia, nam totum mundũ patriam habent, & honorificentiùs alibi accipientur, quàm in Gallia, maximè si à Ministris regatur, cælumq; promerebuntur in desinenti diuini cultus amplificatione. Vt pacem cum hæreticis ineant, fieri nequit; nisi mentem sanam exuant, propter rationes, quas suprà exposui,

CAPVT LXVI.

Refelluntur calumniæ, quibus Arnaldus Societatis nomen impetit.

Postquam

POstquam caninis tuis dentibus totum Societatis corpus laceraſti, orationem conuertis ad eius nomen, & Ieſuitas tanquam arrogantes & ſuperbos calumniaris, quòd ſe Ieſu ſocios faciant. *Hannibal Codretus*, inquis, *libello quodam impreſſo Lugduni apertè ſcribit, Societatem Ieſuiticam ſuum inde nomen habere, quoniam à Deo aſciti ſunt contubernales, datiq; filio eius Ieſu Chriſto, qui ipſos induiduo ſuo ſibi aſſũpſerit comitatu:* Quot verba, tot mendacia & calumnię. Nullus extat liber Hannibalis Codreti, exceptis breuibus Rudimentis, quę debebas edidiciſſe, ne tot ſoloeciſmos cõmitteres. Vir eſt ea doctrina, virtute & prudentia præditus, vt huiuſmodi nænias publicaſſe iure cenſeri nõ poſsit. *Mendacia Arnaldi.*

Alio tuę Actionis loco: *Retinuerunt*, inquis, *nomen ſuum, ſeq; uocari paſsi ſunt Ieſuitas, expreſsè alioquin inhibitum, tanquam quod propriè reſeruandum Saluatori orbis, nullis vnquam vlla inuentis memoria, qui id ſibi aut ſpeciatim applicarent, aut cum pluribus in commune.* Semper manes Arnaldus. Nomen *Ieſuitæ* non eſt nomen *Saluatoris*, ſed *Ieſus*, & anno M. CCC. Lxvij. fuit inſtitutus Ordo Ieſuatorum: non igitur verum eſt, neminem vnquam Chriſtianorum vſurpaſſe ſibi illud nomen: nã vnius aut alterius tantùm literulę diſcrimine diſtant vocabula *Ieſuitæ* & *Ieſuati*. Sed videamus originem huius ſupernomine contentionis, poſteà eam diſcutiemus. Originem ducit ab hæreticis fratribus tuis: eſt enim hæc vetus hæreticorum cantilena: Kemnitius, Boquinus, & alij buccinatores multò ante te, hanc tubam inflarunt, & in Ieſuitas inuerunt, arrepta occaſione ex Societatis appellatione, quos imprudentia quadam ſecuti ſunt nonnulli Catholici, quorum cauſſam ſi tu iam tueri vis, reſpondebo, Summum Pontificem fuiſſe, qui nomen hoc Societati impoſuerit, & Oecumenicum Concilium, quod impoſitum approbárit, quod ſatis eſſe deberet ad imponendum ori tuo ſilentium, niſi a- *Ordo Ieſuatorum.*

deò ad calumnias & mendacia hiaret: impositum enim ab huiusmodi auctoribus, sub eorundem tutela manet, taliq; patrocinio nititur, vt res, cui nomen inditur, maius & certiùs desiderare nequeat. *Nomen*, inquit Plato, *datur à sapientibus, & ab iis, qui auctoritate pollent.* In Cratyl. In Ecclesia Catholica nemo scientia & auctoritate magis eminet, quàm caput Ecclesię Pontifex, qui à Deo, cuius ipse Vicarius, nullius medij interiectu regitur & instruitur: Neque nobilior vllus est cõuentus, quàm Patrum & Doctorum Synodus. Hoc igitur Ecclesię caput nomen Societati indidit, idemq; Synodus vniuersalis suffragio suo approbauit. Nec dubito, appellationem hanc diuinitùs fuisse inspiratam, cùm rei naturam appositè admodum explicet. Nam nomen hoc, salutis nomen est, cui procurandę & promouendæ, Societas à primo suo ortu penitùs sese consecrauit, cui finis & scopus, ad quem collimat, non tantùm proprię perfectioni & saluti cũ diuina gratia vacare; sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere. Nomen hoc omnibus commune est, & pro omnibus: Societas hæc tota aliena commoda spectat, omnium commodis studet, nemine excepto, & in omnibus locis. Quamobrem rectè nominatur Societas *salutis & communitatis.*

Quis Societati nomen imposuerit.

Finis Societatis

Hæc responsio Catholicis satis esse debet. Nam qui vlteriùs progredi, & curiosè causas inuestigare conatur, is & Christianę modestię limites transilit, iudiciumque Summi Pontificis & vniuersalis Ecclesię irreuerenter & impudenter discutit. Quando Rex *Ducis, Comitis, Marchionis*, aut alterius dignitatis titulum & cognomentum alicui arbitratu suo impertit, haud æquum facit subditus, si factum sui Regis in quæstionem & examen vocet: Principi id faciendi ius & auctoritas est, factique sui causas nouit. Catholici igitur huic responso acquiescere possunt, imò & debent. Sed quia

Catholicus

Catholicus non es, neque esse vis, ne fias *Hispanus*, alia ratione tibi satisfaciendum est, vt tandem acquiescas, & ne ægritudine, quam ex hoc nomine capis, eneceris. *Nomen hoc*, inquis, *plenum est arrogantiæ.* At ego dico esse humilitatis, deuotionis, suauitatis, & totius felicitatis. Nomen humilitatis: quia Societati in mentem reuocat, vnde & à quo auctore, quidquid habet, possideat, quę agnitio non infima pars est Christianę humilitatis. *Societatis Iesu* vox subiicit animo, Societatem hanc à Iesu cœptam fundatamque, & omni illo, quo floret, ornatu, donatã. Quando Apellis imaginem videmus vel audimus, nihil aliud cogitatione formamus, quàm Apellis arte & manu pictam; Estque sacris literis modus ille loquendi admodum familiaris, qui à rebus creatis ad ipsius Creatoris cognitionem ducere solet. Hinc cùm Philosophi, rerumq; naturalium studiosi, dicere consueuerunt, naturam *pisces gignere*, *naturam producere lapides*, Scriptura quasi locutionis illius correctrix, Deum *pisces & lapides* procreare dicit. Licèt autem modus loquẽdi, quo Philosophi vtuntur, accommodatus sit caussis proximis & secundis in memoriam reuocandis; alter tamen longè rectior & melior est, cùm nos ad primam illam, omniumq; caussarum caussam eleuet. Si igitur Iesus omnis boni, atque adeò huius etiam Societatis fons & auctor est, quis appellationem hanc iure culpet, cùm primi parentis & fundatoris recentem memoriam semper conseruet? poterat nominari ab Ignatio Religio Ignatij vel Societas illorum, qui cum Ignatio Religionis huius fundamenta posuerunt: Sed Ignatius & socij maluerunt nomen primi auctoris, quàm suum Societati præscribere.

Quale nomen sit nomen Iesu.

Cur sit dicta Societas Iesu.

Prætereà nomen hoc est nomen deuotionis & pietatis: nihil enim illo glorioſius & sanctius in cælo ac in terra: nomen quod semper hærere in corde, in ore & omnibus nostris

stris actionibus prænotari debet, vt monet sanctus Paulus: Coloss. 3. *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum.* Si Iesuitę vocarentur *Iesus*, aut *socij Iesu*, vt tu in tua mendaci glossa dicis, non sine caussa fortasis affirmares, modum istum loquendi arrogantia tumere; sed multum interest, inter priores illas appellationes & hanc: *Ex Societate Iesu*, *seu societatis Iesu Religiosus*, *Sacerdos*, *Presbyter*: sicut multum interest, vtrum quis vocetur Rex, an homo seu subditus Regis. Nã illud supremo duntaxat Principi competit, hoc administris, & iis, qui sub Regis imperio. Hinc cùm agis, *Retinuerunt nomen Iesuitarum Saluatoris nostri proprium*, tuam stupiditatem & inscitiam ridendam exponis: quia *Saluator* non appellatur *Iesuita*, nec Iesuitę *Iesus*.

Maximam porrò pietatis laudem merentur primi Societatis parentes ob singularem animi erga hoc sanctissimum nomen affectum: imitati videlicet sunt veteres sanctitate & doctrina conspicuos, quibus nomen hoc semper in amore & veneratione. S. Paulus singulas fermè epistolarum suarum periodos hoc nomine exornat: & cùm pronunciatur apud Catholicos, nemo est, qui caput non nudet nominis huius colendi & adorandi caussa: nec quidquam magis horret salutis nostrę hostis, quàm hoc nomen; nec sine caussa: sæpiùs enim, quàm libeat, hoc nomine torquetur. Hæretici Magistri sui vestigia sequuntur, nomen hoc in postremis ducunt, in quorum scriptis & libris non nisi rarissimè comparet, neq; magis id colunt, quàm nomen Lutheri aut Caluini, adeò, vt mirum non sit, si nomina seruorum aspernentur, quandoquidem ipsius Domini nomen contumeliosè spernunt.

Præclarum edictum Geneuense. Geneuę publico edicto prohibitum est, ne infantibus imponantur nomina Angelorum aut *Claudij* in detestationẽ Religionis,

Religionis, qua Catholici afficiuntur erga Angelos & S. Claudium, cuius sacrę reliquię illi vrbi nimis vicinæ stomachum hæreticis mouent. Piis & probis alia mens est. Amãt & colunt seruorum nomina, sed præ omnibus nomen Domini; Quo amore ducti nomine illo insignierunt Societatem, quę quanta quanta huic nomini, eiusq; cultui propagando dicata est. *Sed nomen hoc*, inquis, *commune est, ac proinde non vsurpandum à particularibus.* Imò quia commune est, ideo etiam quibusuis id sibi vendicandi ius suppetit. Si totus mundus rectè nominatur Societas Iesu, & quiuis Christianus Iesuita; cur Societati huic nomen Iesu, Societatisq; membris nomen Iesuitę inuidetur? Si communis est fons, cur non illis quoq; inde haurire liceat? Si mensa Dei omnibus paratur, cur ipsi soli accumbere vetantur? Si Sol communis omnium est, cur radiis eius excipiendis & intromittendis non liceat fenestras aperire, lucique aditum patefacere? Non ob id alios impediunt, quò minùs idem faciant. Quotquot baptizantur, accipiunt communem Christiani titulum, & tamen Christiani nomine, vt & Petri vel Ioannis appellatione quiuis gloriatur, sine iniuria communitatis. An metuis, ne Iesuitis hoc nomen vsurpantibus, nihil aliis superfit? Insipiens es & rerum diuinarum ignarus; quarum ea natura & conditio, vt cum omnibus & cum quolibet sigillatim sine vlla imminutione communicari queant. Sacrosanctum Christi corpus toti Ecclesiæ porrigitur, & cuilibet in specie. Nomen Domini omnibus in genere, & singulis in specie vtile est ac salutare: Miror, vnde tibi nihil cogitanti hæc tam inusitata Religio, & metus, ne nomine Iesu priueris.

CA

CAPVT LXVII.

Multis aliis Religionibus à Deo & rebus diuinis nomina esse imposita.

SED vt videas, te non veritatis ardore & amore, sed odio potiùs tibi & Ministris consueto, in Iesuitarum nomen & appellationem inuehi, memineris velim non paucas reperiri Religiones & Sodalitates, quibus à Deo, rebusq; diuinis nomina imposita, nemine reclamante, nemine obloquente. Ex horum numero est *Religio Trinitatis*, *sanctæ Crucis*, *sancti Saluatoris*, *Infantes sanctæ Trinitatis*, *Equites sancti Spiritus*, *Infantes sancti Spiritus*, *Filiæ Dei & Amici Dei*. Parisiis & alibi permultæ domus nomen Iesu pro insigni habent. Memineris Geneuę cudi aureos hoc nomine insignitos; & ex Christianis multi accipiunt nomen *Saluatoris*, quod à nomine Iesu diuersum voce & lingua, non vi & significatione. Accedit, quòd olim extiterunt Religiosi hoc nomine insigniti, & *Iesuatæ* dicti, vt paulò antè diximus. In hos nemo vnquam linguam aut calamũ strinxit: neq; quisquam est, qui Religiosis nomen hoc bono & sancto fine vsurpantibus id vitio verterit. Et tamen si Iesuitæ appellarentur *Equites sancti Spiritus*, si *Infantes Dei*, si *Amici Dei*, si *Saluatores*; toto conatu omnibusq; copiis insurgeres, tuisq; clamoribus cælum & terram repleres, deuocato ad hanc tam enormem blasphemiam, cælitum vniuerso cœtu.

Caluinistæ cudunt Aureos nomine Iesu insignitos.

Sed aduerte paulisper, si vales, animum. Si licet domui priuatæ, in qua decem fortasis, aut non multò plures incolæ, appingere insignia nominis Iesu, quod sæpè fieri potest absq; magno cultu & veneratione, eamq; appellare domicilium vel hospitium Iesu: si Geneuensibus ius fasq; est, Collegio

legio suo imponere nomen à nomine Iesu, quod sine dubio fit absq; religione & reuerentia illius nominis; cur non liceret, Societati toto terrarum orbe diffusæ, acceptare & retinere, pietatis caussâ, nomen Iesu, à Summo Pontifice, & à Concilio Oecumenico sibi concessum? Si quis Dux militum suo in signo nomen Iesu pingeret, suamque cohortem seu vexillum, vexillum Iesu nominaret; num arrogantię insimularetur? Haud equidem arbitror; quin potiùs à multis summis laudibus extolleretur.

Si ergo suo in vexillo hæc Societas hoc nomen præ se fert, quid habes, ô liuide, quod culpes & carpas? Fas scilicet erit, Geneuensibus auream monetam nomine tam salutari insignire, sine vlla reuerentia & cultu; & non licebit Iesuitis per huiusmodi momos, facere, quidquid boni in Rempub. conferunt, in nomine Iesu, hocq; nomine pietatis studio illustrare omnia cogitata, dicta & actiones suas ex Apostoli sententia & monitu, qui tam sedulus huius nominis cultor fuit? An non patientur isti obtrectatores, vt Iesuitę hoc nomine ad officium sese incitent, & in eodem contineant, & vt viso vel audito hoc nomine, nomine omnipotente, nomine salutis & felicitatis sese animent, ad alacriter decurrendum vocationis suę stadium, & ad animarum salutem procurandam? Nam præclarum nomen generoso pectori ad honestum stimulos addit, & indesinenter, ne languescat, impellit, oculis & memorię perpetuò obuersans, cùm nihi sit, cuius difficiliùs obliuiscamur, quàm nostri nominis: Impellit, inquam, importunè quidem, sed suauiter, adigens ad benefacta, occulta quadam ratione, vel etiã pudore. Cùm Alexander Magnus in oppugnatione vrbis cuiusdam videret adolescentem nomen Alexandri ferentem: *Animose*, inquit, *ô commilito, fac facinus dignum nomine illo, quod geris.* Pari modo Iesuita hortabitur seipsum, & sæpiùs his vel similibus

Dictum Alexandri Magni.

verbis alloquetur: Eia age, fac officium tuum in hac Societate Iesu, exere vires, vt facinus facias, nomine Ordinis tui dignum, ad honorem Iesu & salutem animarum, quæ præcioso sanguine IESV tinctę, imò rigatę sunt. Hæc habui, quæ tibi Societatis Iesu nomen & appellationem calumniánti responderem: quæ si non modò in aures, sed & in animum demittas; æquè nullam caussam ac veteres Germanię Prædicantes habebis, cur hoc Societatis nomine offendaris.

CAPVT LXVIII.

Vtrum Iesuitæ sint Regulares.

SVB finem, vt aculeos tuos omnes expromas, & Iesuitarum expulsionem vehementiùs vrgeas, interrogationibus nos aggrederis. *Qui sunt isti*, inquis, *Regularéne, an seculares? Nihil enim tertium. At quomodo habeantur pro secularibus, cùm in commune viuant, cùm subsint pareantque Generali, & post plurimos demùm annos paupertatem voueant, plenè tamen interim statuentes de bonis Collegiorum? Sed neque Regulares esse possunt, quia nulla eis Regula, nullum ieiunium, nullum ciborum discrimen, nullis astringuntur ministeriis, succeduntque in defunctorum bona, quamuis haud etiam Sacramento suo soluti. Quid, quòd iis sunt quatuor aut quinque votorum modi, Simplicium, Compositorum, Solennium, Secretorum, Publicorum: breuiter, omnia confundunt, omnia peruertunt, & interroganti, quales sint, respondent, tales quales. Tunc temporis, inquam, monstri raritate obstupebamus, at iam tale nihil est; cuius rei & ratio in promptu: quia vno verbo nec seculares sunt, nec Regulares. Quid igitur? Veri emissarij ac speculatores Hispanorum.* Rogas, *qui sint isti homines?* ego vicissim ex te percontor, quis iste homo est, & quæ eius petitio? Tùne de Iesuitis & contra Iesuitas tam multa,

multa, & tam asseueranter dixisti; & nescis, quinam sint? Eóne consilio hactenus procacissima linguę petulantia nomen & famam Iesuitarum proscidisti, & exilium decerni postulasti, vt tandem scisciteris, quinam sint isti? Sed quis finis huius tuę petitionis? An, vt remoto omni repagulo linguę tuę habenas laxes, vt liberiùs, quàm hactenus, in Iesuitas grassetur, vtque mundo ostendas, illos neque seculares, neque Regulares esse? Verùm istam tuam raciocinationem examinemus nos, nec seculares, nec regulares.

Tua diuisione ostendis, te in Collegio Regio Nauarræo malè instructum præsertim in Logica, cùm tertium diuisionis membrum omittas. Diuidis Ecclesiasticos in duo genera; in seculares & Regulares: & negas esse tertium genus, ita, vt iuxta istam diuisionem, debeat quis Ecclesiasticus esse secularis, aut Monachus, quod falsum est: potest enim quis contineri sub tertio genere, à te prætermisso: non enim aduertisti, duas esse Regularium classes, in quarum altera Cœnobitæ, quibus vita communis, more Collegij, vt Iesuitis; in altera Anachoretę & solitarij, qui propriè Monachorum nomine significantur, licèt vulgò tribuatur etiam illis, qui vitam solitariam minimè sectantur. Ridiculus etiã es, quod putans, te præclarè demonstrâsse, Iesuitas neque seculares esse, neque Regulares, tandem concludis: *Ergo sunt veri exploratores Hispaniæ.* Ex diuisione Cleri saltitas ad diuisionem regionum, quod est diuidere more Logici errabundi & sine via palantis, seq; ex vna Categoria ad aliam, & ab equo ad asinum transferentis. Perinde est, ac si quis diceret: *Arnaldus nec est bonus Aduocatus, nec bonus Procurator: Est ergo verus Mammalucus, fideiq; desertor. Arnaldus nec est vestitus vt Franciscanus, nec vt Carmelita: Est ergo Iapponius. Arnaldus nec est Geographus, nec Logicus: Est ergo miles.* Aut ita, *Arnaldus nec est Hispanus, nec Catholicus: Est ergo apparitor.* *Egregia Arnaldi conclusio.*

Sed hoc, vt opinor, significare vis, Iesuitas, licèt sint Ecclesiastici, non esse tamen seculares, quod in communi viuant, & sub vno capite; paupertatis voto edito, sed ita vt de rebus suis disponant & transigant: Non nego. Iesuitæ sunt Ecclesiastici, & non sunt seculares: Sed ratio tua non valet, imò contradictione scatet. Vita communis, si desint aliæ causæ, non efficit Ecclesiasticum. Deinde paupertatis votum Deo nuncupare, habereq; integram potestatem disponendi de omnibus facultatibus, repugnantia sunt, simulque cõsistere nequeunt: si idcircò aliquis fit Ecclesiasticus, deserto statu seculari, quia viuit in communi sub vno capite, sequitur Laicos, mereque seculares, qui hanc vitam viuunt, esse Ecclesiasticos, & non seculares. Hinc ergo conficitur, omnes incolas vnius familiæ, qui sub imperio vnius patrisfamilias in communi viuunt; omnia Collegia, quæ vni subsunt præsidi; omnesque milites, qui sub vno Imperatore militant, non esse seculares, sed Monachos: quia secundùm tuam diuisionem, oportet, vt quis sit secularis, aut Regularis, hoc est Monachus: nam nullum tertium genus status Ecclesiastici agnoscis.

Vita in cõmuni non efficit Religiosum, si desint alia.

Dices, *te addidisse votum paupertatis.* Non inficior, sed eodem momento idem destruxisti, addendo *integram bonorum dispositionem*, quæ cum ipso voto consistere nequit. Adde, quòd votum paupertatis aut castitatis non efficit aliquem Regularem, quia permultos reperias his votis obstrictos, qui tamen non desinunt esse seculares & laici. Quare doctrina tua semper sibi constat, nempe nomen *secularis* non posse conuenire iis, qui viuunt in communi sub vno capite, vt Iesuitæ. Quò fit, vt nulla ciuilis familia, nullum Collegiũ alicuius vniuersitatis seculari statui, sed congregationi Monasticæ annumerari debeat; & si tu coniugatus es, & in cõmuni viuis, Abbas eris aut Prior, quippe caput familiæ & familia

familia tua, ac serui tui, & filii, si quos habes, erunt Monachi, vxor tua *Abbatissa* aut *Prioriſſa*: eris Arnaldus Abbas, & Monachi tui Arnaldini, & Abbatiſſa Arnaldina: hac ratione in te, inq; tuis renouabitur memoria & nomen antiqui *Arnaldi* hæretici, & *Arnaldiſtarum* diſcipulorum & ſectatorum eius, qui Iure Ciuili & Canonico infames ſunt, & quotannis excommunicantur in Bulla Cœnę: ſed tu robuſto pectore es, & validis humeris, nec multum moraris tonitrua & fulmina Romana. Quòd ſi nolis haberi Monachus, teque metu & pœna liberare velis, retractanda eſt tibi tua diuiſio & definitio, & accomodanda legibus Logicę, alioqui neceſſariò texes tibi cucullam, tuiſque domeſticis metes tribulos ex agro tuo. Ieſuitę ergo ſunt Eccleſiaſtici, non ſeculares, nō quòd viuuant in communi ſub vno capite de bonis ſuis arbitrio ſuo diſponentes, quę ſunt rationes tuę; ſed quòd in communi viuant ſub eodem capite & ſub certa regula, pro Religionis regula approbata.

Arnaldus & Arnaldiſtæ hæretici excōmunicati ab anno 1140 & infames Ext. de Hæret. cap. Excōmunicamus. Itē C. de Hæret. L. Gazaros. S. Bern. ep. 190. Alph. á Caſt. u. Beatitudo.

In ſecundo diuiſionis tuę membro deteriùs & turpiùs laberis, cùm probare conaris, Ieſuitas non eſſe ſeculares. Vis & neruus tuę probationis eſt, quòd non habeant regulam. Primùm, habere regulam, non efficit, vt quis ſtatim ſit Regularis: alioqui omnes fabri lignarij, carpentarij, latomi aliiq; artifices, qui vtuntur regulis & legibus, regulares eſſent, tuq; ſolus irregularis, qui es Aduocatus ſine regula & ſine norma, mendax & calumniator abſque modo & menſura, & ſi nouiſſes regulas in Logica, quę eſt ars & regula ſolidè ratiocinādi, & alterum ex altero concludēdi, pro fundamento tuę probationis poſuiſſes legitimam definitionem huius nominis *Regularis*. *Ieſuitæ nullas habent regulas*, ais: Cur ergo eas citaſti antea? Aut igitur quod antea attuliſti, ex cerebro tuo exſculpſiſti, aut non ex Ieſuitarum Conſtitutionibus in medium protuliſti, aut non intelligis, quid ſit

Num Iesuitæ habeant Regulam.

Regula. Sed quo auctore scis, Iesuitas carere regula? Non solùm habent regulam, sed pulcherrimam regulam: regulam in genere, regulam in specie; nec est tam exiguus inter illos administer, qui suam non habeat. Et si nosse lubet, qualis sit illa regula, dico epitomen esse omnium eorum, quę in aliis Religionibus antiquioribus sanctè & laudabiliter sancita & constituta sunt, cõcinnatam inde nullius damno, sed communi omnium honore potiùs & laude. Nam multum laudis merentur meritò apud omnes, quòd in consortium suorum thesaurorum admiserint etiam istam minimam Societatem, vltimò omnium in cœtum Dei cooptatam, & dignã, quę tam tenera ætate alienis subsidiis sustentetur & adiuuetur. Hæc epitome confecta est, vt opponeretur, & tãquam scutum obiiceretur hæresi Lutheranę, quę est rhapsodia, & cento quidam omnium hæreseon superioris æui.

Qualis sit Iesuitarum Regula.

Hæc regula & viuendi forma in communi prę se fert imaginẽ cuiusdam Reip. spiritualis. Est enim formata ad similitudinem trium Regiminũ, Monarchici, Aristocratici, & Democratici, quę sunt tria Rerump. genera, quælibet sigillatim etiã bona & cõmoda; sed vtiliora, quãdo simul iunguntur, vt fit in Ecclesiastico Regimine, omniũ, quę Deus inter homines instituit, perfectissimo. Ad imitationẽ Regiminis Monarchici præsidet in hac Societate Generalis Præpositus, cui imperiũ in omnes. Ad normam Imperij Aristocratici, designantur Prouinciales, qui nõnullis in rebus mandant & decernunt, iunctis cũ Generali suffragijs quę est Aristocratica Respub. quam multi gubernant. Democratia, quę est status popularis, perspicitur in Cõgregatione generali Professorum, quando habetur, quę corpus vniuersum repræsentat, & populũ totius ordinis. Generalis quatuor habet Assistentes, qui eum suis consiliis iuuant, vnumq; Monitorem, qui priuatim monet, cùm opus est, vel de rebus ad officium eius,

tum eius, vel ad ipsammet Generalis personam spectantibus, idq; vel suo nutu, necessitate exigente, vel aliorum hortatu facit. Prouinciales etiam habent quatuor Consultores suos, vnumque Monitorem, vt & Rectores, quorum consilijs in gubernandis prouinciis & Collegiis vtuntur more Generalis. Hi omnes habent regulas suas speciales, desumptas ex Constitutionibus & aliunde, excepto Generali, cui totum Institutum pro Regula: Item omnes Officiales inferiores, Presbyteri, Confessarij, Concionatores, Præceptores, Procuratores, & cæteri omnes, ne Ianitore quidem excepto.

CAPVT LXIX.

A quo Societatis regula fuerit approbata.

PRoblata fuit hæc Regula approbationis impetrandę caussa Paulo III. qui eam tribus Cardinalibus examinandam tradidit, quorum vnus Bartholomeus Guidicionus, vir doctus, accuratus & sanctę vitæ, qui iusta caussa permotus, parùm approbabat tantam Religionum multitudinem, iudicans potiùs esse aliquas earum tollendas, & veteres reformandas, quàm nouas instituendas, eaque de re librum ediderat: quamobrem acrē se Iesuitis præbuit aduersarium, & Societatis confirmationi vehementer repugnauit, vt & alij Cardinales: nihilominùs cùm rem iterum atq; iterum perpendisset, suasq; rationes & argumenta subtiliùs excussisset, ita immutatus est, visa instituti forma adeò ex vsu publico concepta, vt diceret, se digitum Dei ibi agnoscere; & licèt nouas Religiones non probaret, tamen omnino huic inter cęteras dandum esse locum. Ex hac historia accepisti tu id, quod contra Iesuitas erat, relictis illis, quæ tibi caput comminuebant; produxisti difficultatem, qua res initio perfecta est, & prætermisisti

Mos hæreticorum in citationibus.

misisti testimonium, quod tandem Cardinalis ille Societati dedit. Qui modus agendi hæreticis proprius est. Nam scripturas diuinas, aliorumq; scripta discerpunt, iam sumpto duntaxat initio, iam fine, quandoq; medio, prout sibi conuenire arbitrantur ad calumnias & impostura. Hoc artificio, vt id obiter dicam, contexti sunt libri Caluini, nominatim epistola dedicatoria, præfixa Institutioni: hinc multi abiurata hæresi, ad saniorem mentem, & ad Catholicam fidem redierunt, cùm citationes hæreticorum cum ipsis auctorum monumentis comparassent, fraudesq; in adducendis veterum Doctorum testimoniis clarè deprehendissent.

Ex his intelligis, opinor, te sine regula & vero loqui, cùm ais: *Iesuitas non habere regulam*, idque, quod ad probandum adduxisti, falsum esse, ineptamq; consequentiam. Falsum, quando dicis, *Iesuitas non habere ieiunium, nullum ciborum delectum, nullum certum diuinum officium.* Nam præter ieiunia Ecclesiæ, habent suas abstinentias, & in victu cultuq; asperitates, meditationes, *disciplinas*, & alias exercitationes: Quod si non eundem modum, quem cæteræ Religiones, obseruant; non est mirum, cùm sit Religio distincta, quam oportet suo fini consentaneam viuendi rationem sequi. Obligantur etiam ad certum officium diuinum. Qui enim sacris sunt initiati, recitant horas Canonicas, non secùs atque illi, qui in Choro, etiamsi non cantent. Sacerdotes Missæ sacrificium peragunt, Confessiones audiunt, concionantur non sine tuo cruciatu. Si funera non deducant, id fit, quia non est Instituti ipsorum: si deducerent, diceres id fieri ex auaritia, eius rei loco alij cuidam charitatis operi vacant. Si nõ astringantur Choro, id propterea fit, quòd per Dei gratiam numerosa sit proborum virorum ac mulierum multitudo, quæ abundè huic muneri satisfaciat; ipsi verò interea diuino vacant obsequio in iis rebus, quas illi, qui canunt, præ-

stare

ſtare nequeunt, nec ipſimet poſſent, ſi cura canendi diſtinerentur. Eſt quidem opus Angelicum, diuinas laudes in Choro concinere, munus tamen etiam Angelicum eſt, mentes hominum diuina ſcientia ex ſuggeſtu illuſtrare. Cantus diuinarum laudum cælum penetrat. Idem facit verbum Dei. Annon preces Matutinę cumulatè compenſantur Matutino duarum vel trium horarũ ſtudio, in rebus tam arduis, quàm fructuoſis poſito, & laboribus illis ſcholaſticis, qui in Gymnaſio ſuſcipiendi & exantlandi in gratiam iuuentutis? An non Veſperarum & Completorij vicem præſtant eiuſdem generis & contentionis labores pomeridiani? An non tam operoſum & moleſtum eſt, quotidie diſpicere, qua ratione tot ingenia in ſcholis alas & paſcas, quàm rituales libros peruolutare, vt videas, quid in Choro ſit canendum? Æquiores pleriq; eſſent Iudices, ſi intelligerent, quantas difficultates & moleſtias tam diſcendi, quàm docendi munus coniunctas habeat, nec quiſquam inexpertus ſatis hoc noſſe poteſt. Et niſi ardore diuinitùs immiſſo & amore boni publici impellerentur, quo tanquam condimento labor omnis dulcior & gratior efficitur, neſcio qui munus hoc nulla ſpe ſtipendij, ſuſciperent, vel in ſuſcepto tamdiu conſtanter perſiſterent. Hæc tamen ſuauitas minimè impedit, quò minùs huiuſmodi occupationibus vires corporis paulatim exhauriantur, & lento quaſi igne abſumantur. Quæ cauſſa, cur inter Ieſuitas tam pauci ſenes & cana capita? quia plerique in ipſo ætatis flore hoc iucundè quidem, ſed tamen efficaciter dulci labore ex vita abripiuntur.

Cur Ieſuitæ nõ habeant chorũ.

Cur pauci ſenes inter Ieſuitas.

At Ieſuitæ, inquis, *nullum habent proprium habitum, vt cæteri Regulares.* Quid tum? Id fit, quia ſunt alterius familiæ. Quod ſi habitus non facit Monachum, minùs etiam facit Regularem. *Habent ſuum habitum proprium ſuo modo: non ſunt ergo Monachi:* Verum eſt; ſed idcircò non deſinunt eſſe Religioſi &

Habitus Ieſuitarum.

Regulares: Equites S. Ioannis sunt Religiosi, non sunt tamen Monachi. Apostoli erant Religiosi, & omnium perfectissimi, non erant tamen Monachi. Nam nomen *Monachi*, propriè significat Anachoretas, qui solitarij viuunt in suis cellulis, seiuncti ab omni hominum consortio. Quare S. Thomas sui Ordinis homines inter Monachos non numerat, nec S. Bonauentura eos, qui sunt sui Ordinis, licèt vtrìq; verè sint Religiosi. Quocirca latiùs patet res & nomen Religiosi, quàm res & nomen Monachi: nec est necesse, vt quicũq; Religiosus est, etiam sit eo ipso Monachus, nõ magis, quàm vt Carmelita sit Augustinianus.

At propterea tuo dilemmati & Syllogismo cornuto addendum est aliud cornu, tuæq; diuisioni aliud membrum, dandusque locus tertio generi Ecclesiasticorum, quos nusquam gentium reperiri dicebas. Ecclesiastici enim tribus modis diuiduntur: Alij sunt Clerici seculares; alij Clerici Regulares, quorum Regularium nonnulli in cõmuni viuũt sub vno capite & Regula approbata, & hi omnes Religiosi sunt, Collegiis, studiis & operis communibus associati: Alij viuunt, aut viuere debent ex præscripto suæ regulę in suis cellulis soli, qui propriè sunt Monachi, hoc est, solitarij: hæc enim notio Monachi, vocabulo subiecta est. Nihil igitur causse est, cur dicas, Iesuitas non esse Regulares, & impiè impugnes iudicium Sedis Apostolicę & Ecclesię vniuersalis, à quibus in numerum Religiosorum Iesuitę ascripti sunt. Quòd si fortè auctoritas Canonistarum ruborem ex effronte tuo vultu elicere potest, ecce tibi Nauarrum Doctorem Iuris Pontificij, longè omnium præstantissimum, & Cadurci, Tolosæ, in Hispania & Italia, in præcipuis Euro-

Testimoniũ Nauarri de Reg. Cõmẽt. de

pę Academiis profitendo & docendo spectatum. Hic igitur talis ac tantus duobus aut tribus locis suorum Operum fuit. diserte ostendit, Iesuitas esse veros Religiosos, non sine lau-

de no-

de noui Iuris huic Societati conceſsi, & virtutum, quę in hac Societate eluceſcunt.

CAPVT LXX.

Reffelluntur inſulſi quidam Arnaldi ioci.

IEſuitæ, inquis, *habent multa votorum genera, ſimulq; profana & impia temeritate vota ſimplicia & compoſita,* nobis ingeminas, non ſine certo improbitatis tuę & ignorantiæ argumento. Nam niſi hoſpes in Chriſtiana Religione eſſes, haud ignorares, in ea reperiri, non *compoſita vota,* vt tu cauillaris; ſed vota ſimplicia, vota ſolennia, vota publica, & vota ſecreta; quæ res tam manifeſta eſt, quàm tua inſcitia, nec opus eſt pluribus verbis. Qui ſunt ergo Ieſuitę? *Sũt veri exploratores Hiſpaniæ.* Iam tibi oſtendi ineptiam iſtarum conſequentiarũ, & docui, quales ſint Ieſuitę: nihilominùs coronidis loco addendũ eſt aliquid, perſpicueque demonſtrandum, te talem eſſe, quales Ieſuitas eſſe dicis, à quibus hac in re immane quantum diſtare velis. *Ieſuitæ,* inquis, *nec ſunt Regulares, nec ſeculares,* & vi iſtius antecedentis concludis: *Ergo ſunt veri Hiſpani.* Idem dico, *Arnaldus nec eſt Clericus ſecularis, nec Regularis: Eſt ergo Hiſpanus.* Si tua conſequentia bona eſt, cur non & mea? cùm ſit eiuſdem materię & formę.

Vota Ieſuitarũ & Eccleſiæ.

Ineptia conſequentiarum Arnaldi.

Attamen quia nomine *Hiſpani* intelligis more tuo Catholicum, nolo ſumere tuum Antecedens, nec tuam concluſionem, veritate inuita & reclamante. Accipiam, quę vera ſunt, & in te appoſitè quadrant. *Arnaldus neſcit, quid dicat, quid ſcribat: eſt ergo delirus.* Arnaldus neſcit etiam, quid ſignificet ſecularis aut Regularis: eſt ergo ineptus Doctor Iuris Canonici. Arnaldus iniuriosè Apoſtolicam Sedem inuadit, & impudenter totam ridet Eccleſiam: Eſt igitur hæreticus

perfrictę frontis. Arnaldus nihil aliud facit, quàm mentiri & calumniari: est ergo verus diaboli filius. Dices fortasis, me nimium huic tuę collectioni & consequentię immorari, & ex musca elephantem facere; te enim conclusionem istã formâsse feruore fori & actionis abreptum, magisq; risus, quàm probationis caussa. Si risus gratia, rideamus ergo, patiaris vt id agamus, quod nos agere voluisti. Memineris tamen, seriò & non ridiculè agendum & loquendum fuisse, coram supremo Senatu, & in caussa tanti momenti, qua à triginta annis nulla grauior, & ad diiudicandum difficilior, tuo quoq; iudicio, in forum venit. Haud tamen credo, ardorem dicendi excusisse tibi illam argumentationem. Nam in libro saltem tuo typis impresso, sapere debuisses, si vitio & lapsu linguę nimium calentis in errorem illum incideras. Sed verisimile mihi fit, te eò adactum nequitiâ, quę te nũquam sinit esse mentis compotem, sed semper ridiculum facit, siue loquaris, siue scribas.

Accedamus nunc ad alios tuos lepores, nominatim ad illum, quem ex illo responso (*tales quales*) hauris, vt omnes dispiciant, quantoperè patientia auditorum abutaris; quod fiet, si originem responsi illius, tuamq; insignem subtilitatẽ cognoscant. *Iesuitæ*, inquis, *interrogati, quales sint, respondent, tales quales.* Sed vt calumnia tua euanescat, obseruet Lector, velim: cùm tempore vehementis illius persecutionis anno M. D. Lxjv. à Iesuitis quæsitum esset, qui estis vos? Aduocatum quendam priscę fidei & moris, nomine Iesuitarum respondisse; *Nos sumus tales, quales nos esse voluit Summus Pontifex, Rex, & suprema Curia.* Quę responsio omnibus Herodianis silentium imposuit, linguasque præcidit. Tu igitur hoc loco non modò malum glossatorem & irrisorem, sed & hæreticum recitatorem te nobis præbuisti, amputando ex historia quiduis arbitratu tuo, & abutendo

iis,

iis, quæ reliqua; resecando caput & pedes responsionis, vt factum obscurares, risumq; captares, non sine veritatis, vel potiùs tuo dispendio. Tuam enim prodis stultitiam, cùm in eo responso nihil risu, sed multa admiratione digna, contineantur. Quod si rideas non sensum, sed connexionem verborum, adhuc es ridiculus. Nam Cicero eadem verba sæpè connectit, non sine decore, imò etiam ipsius Latinę linguæ necessitate. Quodam loco dicit: *Ciuis talis qualis, & prudentissimus & fortuna optima esse debet.* Et alibi: Non tales, quales habitę sunt, habeantur. Quid igitur hîc habes, quod rideas, pecus Arcadicum? Intelligisne Latinam linguam & Gallicam? putastine, quòd quemadmodum Gallicè prouerbij species ineſt in verbis (*tel quel*) ita etiam insit in Latinis? Nónne animaduertis, quòd aliorum auribus abuti volens, ipsemet sis circumductus & circumactus tuis, quarum longitudo latitudinem superat, cùm ne duarum quidem Latinarum dictionum vis in eas penetrare potuerit. Cùm igitur ioci & apostrophę tam infeliciter tibi cedant, suadeo & moneo, vt imposterum his omnibus abstineas: nihil aliud nosti; quàm pungere & mordere, mentiri & calumniari, more pantomimorum & histrionum. Nec quidquam intelligis, Iudices tui sunt viri ingenioſi. mihi in mentem reuocasti Æsopi asellum, qui cum suo Domino ludere volebat sicut catellus melitæus. *Ad Atticum.* *De Inuent.*

CAPVT LXXI.

Ex quibus locis Iesuitæ sint expulsi & qua de causſa.

PRoximè ad perorationem tuam accedens, postremum impetum facis, tanta vi & violentia, vt varices propemodùm ruperis. Alia enim firmamenta ab exemplis, roborandę tuę causſæ adfers,

& peragrata Italia, aliisq; multis locis, demonstratoque, quàm multis regionibus Iesuitæ eiecti sint, tandem concludis, *Iesuitas ex Gallia quoq; exterminandos esse.* Prudentiùs fecisses, si omissa omni ratione, vt hactenus, Inuectiuam tuam terminasses. Facilè enim diuinare poteras, exoptatissimum illud Senatusconsultum iam conceptum esse, propediem pariendum, & in lucem edendum, & hoc rectiùs & aptiùs antecedentis loco posuisses, quàm illa de Iesuitis expulsis exempla, quibus nihil aliud conficis, quàm quòd deliram tuam stoliditatem, magis semper ostendis. Nam non modò nihil contra Iesuitas allata exempla efficiunt; sed eosdem etiam ab omni criminis suspicione absoluũt. Cùm enim necdum probaueris, meruisse, vt expellerentur, quoties expulsos clamas, toties iniquitatem & improbitatem hostium Iesuiticorum accusas, & Iesuitarum virtutem commendas, ostendisq; Iudicibus viam & rationem, vt sententiæ tuæ sententiam contrariam ferant. Norunt enim, Apostolos & primitiuæ Ecclesiæ Christianos iuxta vaticinium Christi Domini nostri fuisse sæpiùs non sine grandi iniuria ex vno loco pulsos in alium, & paganos tuo more argumentari solitos: *Christiani vndiq; pelluntur, & vbiq; persecutionem patiuntur: Ergo Roma pellendi sunt, vt communis quietis perturbatores:* Et hoc argumentum non magis valuisse, quàm malum exemplum, ex quo desumptum est. His accedit, quòd illi, qui olim repudiarunt aut expulerunt Iesuitas, tandem illos reuocârunt & receperunt.

Sorbona edidit contra Iesuitas decretum valdè seuerum & asperum, anno M. D. LIV. quod & dicenti & scribenti vberem materiam subministrauit: sed illud posterius, quod publicauit anno superiore 9. Iulij, postquam probasset & agnouisset illorum doctrinam & virtutem per triginta annos, satis declarat, quanti illos faciat, & quòd Societatem appro

bet

bet & recipiat, simulq; omne illud, quod in contrarium olim dictum aut scriptum, improbet irritumq; reddat. Quæ responsio euertit etiam illud, quod mendaciter scribis, *ex Italia*, scilicet, *fuisse expulsos*. Etsi enim inde exterminati fuissent; tamen Collegia interea in præcipuis regionis illius vrbibus fundata & exædificata, Seminaria omnium propè nationum, quibus ibidem præsunt, functiones, quas Romæ obeunt, præsertim in æde D. Petri, tanto tot animarum bono, manifesto indicio sunt, eos Italis longè gratissimos esse, & si inde electi fuerint, iniustam fuisse expulsionem, cùm necdum, qui essent, perspicuè constaret.

Iesuitæ nunquã fuerunt ex Italia pulsi.

Sed mittamus isthæc, quæ iure pro defensione Iesuitarũ adduci possent: factum videamus. Nego, vnquam ex Italia pulsos, malaq; fide, hæreticis innata, Ribadeneiram citas, accepto narrationis initio, vbi commemorat Ribadeneira, Iesuitas in Italia multis difficultatibus conflictatos, quod pro te facere videbatur, & prætermisso narrationis fine, qui totus spectat ad laudes Iesuitarum & Societatis, quam eò libentiùs admiserunt, quò accuratiùs fuerat proba ta & examinata. *Etiam Burdegala exterminatos dicis.* Respondeo, manere potuisse, si voluissent; sed maluerunt sua sponte vrbe excedere, quàm id facere, quod salua conscientia facere non poterant. Magna autem affecisti iniuria Dominum Mattignonium Tribunum militum, cùm electionem illam vocas *præclarissimum & glorioſissimum facinus, quod vnquã fecit Dominus Marschalcus Mattignonius, etsi aliæ alioqui laureæ caput ei triumphale non vnis obumbrent foliis.* His tuis verbis statim subiicis apostrophas & exclamationes diuersis, iisque grandioribus characteribus. Tantum restabat vt pictorum & sculptorũ instar varia emblemata & parerga maioris apparatus gratia adiiceres. Iniuria, qua illum afficis, in eo consistit, quòd vt insignis adulator, ad cælum vsque extollis factum,

Cur discesserint Burdegala.

ctũ, de quo nihil sibi tribuit, Principis sui mandato id, quod fecit, facere coactus. Nam factum aliquod laude & prædicatione dignum censetur, vel ob vtilitatem, vel ob difficultatem, vel ob vtrumque. Vtilitas nulla est in hoc actu, nisi hæreticorum iudicio, qui vtilissimum putant, exterminare omnes illos, qui laboribus suis Ecclesię prodesse possunt. At ex sententia verè Catholicorum non modò nulla est in hoc facto vtilitas, sed ingenti etiam clade Rempub. afficit, vel ob hoc solum, quòd tam numerosa iuuentus, quę bonis literis sub Iesuitarum disciplina operam dabat, tam fidis Magistris & Doctoribus iam sit destituta. Omni præterea difficultate caruit id factum. Quę enim difficultas magno militum Duci obstitisset, quò minus expeditè Religiosos egenos ex vrbe expelleret? Tota fortasis difficultas in illo ipso erat, quòd rem inuitus exequeretur. Optabat enim, vt Iesuitę sese ad aliorum voluntatem conformarent, & vrbe nõ excederent. In quo igitur hanc tam insignem & insolitam laudem ponis? An nobis persuadere conaris, granum milij esse montem, & culicem elephantem?

Quòd si contentus laudare factum, omni comparatione & exaggeratione abstinuisses, vanitate futilis cuiusdam nugatoris te duntaxat notasses, sine vllius præiudicio admodum magni æstimando: At tam exile factum præferre omnibus, quæ Dominus ille vnquam præclarè gessit, nihil aliud est, quàm de honore eius, quidquid potes decerpere, ita, vt quidquid vnquam fecit, minus sit, quàm ipsum *nihil*, suspensis omnibus illius trophæis ex tenui filo, vel potiùs ex aranei tela. Vbi est animus tuus? vbi mens? vbi consiliũ? per multas laureas tribuis illi, omnesq; occultas, & quasi sub ala muscæ reconditas. Annon duplici ratione mundum ludibrio habes? Panegyricum illi canis, moxq; eundem tuis verbis denuo tollis & funditus obliteras. Itanè omnem intelligendi

telligendi vim aut amisisti, aut peruertisti, vt adeò parui facias omnia illa merita, quibus Dominus ille Reges Francię sibi deuinxit, propter quæ ad eum quoque, quem tenet, dignitatis gradum euectus est? Siccinè verò ne vnius quidē assis æstimare audes, quidquid publicè & priuatim, in bello & pace, contra externos & domesticos hostes, pro Regno Gallicano præclarè & fortiter gesit? Hoc enim agis, quando scribis, exiguum Iesuitarum numerum, inermem, & resistere nescium, Burdegala eiecisse, & ad S. Macarium septem Gallicis milliaribus à Burdegala distantem ablegasse, præstantiorem esse reliquis omnibus victoriam, & facinus præclarius omnibus illis, quæ vnquam tota vita sua prosperè & viriliter fecit. Adeóne ineptus es, vt absque iniuria neminem laudare possis? Vbi erat iudicium tuum, quando hæc dicebas, & typis euulgabas? Sed non mirum: hæreticus es; hinc nihili facis, quidquid Dominus Mattignonius contra hęreticos gesit, plurisq; tibi est exile illud incommodum Iesuitis illatum, quàm totum bonum Ecclesię allatum. Mercedē eloquentię tuę aliā non optassem, quàm vt coràm adfuisset Dominus Mattignonius, quando apostrophen illam voce nautica detonabas. Vsurpasset in te illud, quod Hannibal in Phormionem Oratorem: *Nunquam audiui hominē in loquendo stultiorem:* Vel illud Regis Pyrrhi in absonum tibicinem: *Mallem audire hinnitum mei equi, quàm istum.* Interea Plut. in Pyrrh. noueris, Iesuitas Burdegalę amari ab omnibus probis, quorum adhuc ibidem, Dei beneficio, magnus numerus. Noueris, Senatum Burdegalensem, Iesuitis parentis instar semper præstò fuisse, omnesq; magno animi mœrore agnoscere, Iesuitarum discessum redundare in maximum detrimentum multorum millium adolescentum, qui labore Iesuitarū, literis & pietate informati, & tam ad bene dicendum, quàm ad bene viuendum egregiè instructi fuissent; vt taceam iacturam

cturam illam, quam innumeri alij fecerunt, quibus & auxiliũ & solatium, per hanc expulsionem, ademptum est. Noueris, Iesuitas Burdegalam reuersuros progressione temporis, illo adiuuante & annuente, qui manu sua corda Regum tenet & versat, quiq; Oceanum & *Lunam* & ventos in sua potestate habet; & qui Garumnam mari, & Suberno, secundo vento implere potest; qui vndique prouehat & promoueat nauim Iesuitarum, vt eò deferantur.

Portus Burdegalensis uocatur Portus Lunæ.

Cæterùm tantum tibi iudicij non fuit, vt fingeres & adferres exempla contra Iesuitas paulò ad rem tuam accommodatiora. Si sciuisses expulsos Cæsarauguſta in Hispania, & Anno M. D. LXI. ex Pameria in Prouincia Narbonensi, & non ita pridem ex Transyluania; item quot in Iapponia difficultatibus conflictentur septem vel octo iam annos, rege Cabacondono in exitium & exilium illorum aduigilante & expulsionem ex tota Iapponia, vt tu ex tota Gallia, vrgente, adeò, vt Iesuitę bis iam ad discessum accincti solum vertere, & in Indiam renauigare voluerint. Si sciuisses etiã aduersarios Iesuitarum Auenione anno M. D. LXIII. tormentum bellicum iam oneraſſe, vt illud in Collegium sine mora exonerarent, nisi prudentia Cardinalis Armaignaci impetum furentis populi cohibuisset, & seditionem calumniis clandestinorum hostium excitatam compressisset; si hæc, inquam, & id genus alia explorata habuisses, vberem certè & præclaram dicendi, & glossematis tuis amplificandi materiam habuisses, & non parùm exultare hîc & longiùs exspatiari potuisset Oratio: primùm quidem in foro, postea impressa in toto mundo, donec ego respondissem ad singula. Et ad primum quidem, honorificè Cæsarauguſtam fuisse reuocatos, non sine assensu, addo & bono illorum, qui eiectionis auctores fuerant, & ab illo tempore ibidem semper stabili sede vixisse, amatos & honoratos ab omnibus.

bus. De Pameria non est mirandum; inde enim ab Hæreticis electi sunt, in quorum tunc potestate vrbs erat, qui posteà ne cæteris quidem Religiosis pepercerunt, quod in reliquo Galliæ itidem factitabunt, si aliquando rerum fuerint potiti, vt Pameriæ; sed expelli ab improbis, testimonium est veritatis: quamobrem discessus huiusmodi Iesuitis laudi & honori esse solet. Quod ad Transiluaniam attinet, spes est fore, vt administratio prouinciæ non semper sit penes hæreticum, atq; adeò vt non longo pòst tempore Iesuitæ reuocentur, cùm grati sint & chari Principi, qui tempestate hæreticorum iactatus tenerioribus annis, nauem nonnihil ad eorum voluntatem flectere debuit. In Iapponia quinquagesimum iam agunt annum, nec temerè sperant, diuinam bonitatem non permissuram, vt saluti tot millium, qui illic Christianam Religionem amplectuntur, Magistri, Doctores & pastores subtrahantur; quin potiùs effecturam, vt noua isthæc vinea indies magis efflorescat, & vbertate sua sterilitatem antiquæ confundat.

Iam reuocati sunt in Transyl. naniam.

Auenione non excesserunt Iesuitæ, patefactis patientia & virtute mendaciis hostium, proborumq; animis, & voluntatibus omni officiorum genere sibi conciliatis. Quòd si Auenionem reliquissent, damnum ad vrbem, non ad Iesuitas manasset, quod non fugit Pium V. sanctissimæ memoriæ Pontificem, qui Domino Ioanni Michaëli primario Auenionis ciui, nuncium de tumultu excitato afferenti dixisse fertur: Væ Auenioni, electis inde Iesuitis. Hæc & alia de genere eodem tibi respondissem, & ad meliorem mentem reducere te conatus fuissem, si suprà dicta exempla attulisses; satiùs tamen arbitror, quòd ea ignoraueris.

Dictum Pij V.

CAPVT LXXII.

Amicos Dei semper variis molestiis fuisse exagitatos.

OStendi hactenus, huiusmodi persecutionis exempla nihil ad tuam causſam conferre: nunc docebo te, tales vexationes & molestias esse virtutis symbola & argumenta, quibus perspicuè demonstrari possit, Iesuitas in Gallia retinendos esse. Nam persecutionem pati, varijsq; casibus agitari & expelli propter Iustitiam, in amicitia Dei, eaque intima hominem collocat. Et quemadmodum ærumnę, filiorum Dei, notę sunt & tesserę; ita eædem testimonia sunt animi constantis, generosi, Deoque chari. Ridebis fortasis, vel potiùs surda aure preteribis id, quod dico; sed fac, quod lubet; & quantum voles delira; ego tamen non desistam, sed in incepto pergam. Sacrę literę obuiis vbique historiis & euentis, sententiæ meę adstipulantur: semper enim, quando Deus filios & famulos suos ex tenebris in lucem eduxit, validos illis exercendis & exagitandis apposuit aduersarios. Nullus vnquã populus tanta pertulit, siue domi siue foris, quanta Hebræi, populus à Deo electus; ita, vt Cicero diuinorum consiliorum ignarus, vocauerit populum ad seruitutem natum. Iob ex præcipuis Dei amicis erat, & tamen non effugit hostilem impressionem, & quidem magnitudini virtutis, qua clarebat, conuenientem. Neq; id alio consilio diuinitùs accidit, quàm vt Sapiens ait: *Dedit illi forte certamen, vt vinceret.* Prima concio, quam Dominus & Dux noster ad Apostolos & discipulos, & in ipsis ad omnes Christianos habuit, fuit de persecutione, cui tertium & octauum locum inter Beatitudines dedit; & vt necessitatem & vtilitatem ærumnarum & cala-

Pro prou. Consul.

Iob. 1.

Sap. 10.

Matth. 5.

calamitatum altiùs in mortalium pectora imprimeret, adiecit sub finem quasi coronidis vel potius epilogi loco: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint ōne malum aduersus vos, mentientes, propter me.* Et paulò antè, quàm ex hoc mūdo discederet, dixit: *Nunc venit hora, vt quicunq; interfecerit vos, putet se obsequium præstare Deo. Plorabitis & flebitis; mundus autem gaudebit.* Ioan. 16. Postquam autem hæc & similia non modò verbis, sed & innumeris patientiæ exemplis docuit, ad extremum tamen insigne huius rei specimen dedit, immane crucis supplicium tanta cum tolerantia perpessus, qui sanè cruciatus omnium, quos vnquam pertulit, acerbissimus & molestissimus extitit. Cùm electo illi vasi D. Paulo Apostolo Deus traderet patentibus quasi literis officium prædicandi, & Euangelium vbique annunciandi potestatem faceret, subiunxit clausulæ loco: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Actor. 9. Cùm Regum quispiam magni pendit virtutem alicuius ex subditis, non patitur residem languescere; sed vtitur eius opera, temporibus præsertim formidolosis & periculosis, si quidem militarem disciplinam calleat.

Ipsa Dei Ecclesia quid aliud est, vel fuit, quàm meta & scopus, in quem omnia sua tela coniiciunt Tyranni, pagani, hæretici, flagitiisq; contaminati? Firma tamen stat, stabitq; inter vndas, & in mediis belli fluctibus gloriosè triumphauit. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Pſal. 109. Hinc vocatur Ecclesia terribilis, vt castrorum acies ordinata: Qui omnis persecutionis expers viuit, neq; in hac vita legitimè certat, is profectò in altera neq; coronabitur, neq; in librum vitæ inscribetur. Ex filiis Israël illi tantùm in catalogum populi Dei relati sunt, qui habiles erant armis ferendis & tractandis: præcipui cultores & amici Dei variis calamitatibus exerciti sunt, tam in lege Gratiæ, quàm in lege Moysis, imò In lib. Num.

& ante hanc. Et ea est dæmonis natura, vt maximè inuadat manu promptos & bello strenuos; alios tanquam calones & lixas, & non tam ad arma, quàm ad pabulum natos spernit; delectis ad conflictum, permissu Dei, intrepidis, pugnandiq; peritis.

Quia verò inter egregia virtute bellatores, Religiosi primas tenent, ideò dæmon præ cæteris hos sibi oppugnandos sumit, eorundemq; felices progressus & successus interrumpere indesinenter conatur. Quid ærumnarũ subeundum non fuit priscis illis Anachoretis, & familiarum Deo dicatarum fundatoribus & principibus, S. Augustino, S. Bernardo, S. Brunoni, S. Benedicto, eorumq; discipulis? Eximio item illi Alberto Patriarchæ Hierosolymitano, Carmelitarum instauratori, & post hos S. Dominico & S. Francisco? Monumenta, quibus res ab illis gestæ, comprehensæ sunt, loquuntur, & in omne æuum loquentur, quæ & quanta pertulerint. *Nouerat,* inquiunt, *antiquus hostis, hos Ordines Ecclesiæ Dei admodum profuturos, propterea multum illis, obstitit, ita, vt ad nihilum ferè redigerentur.* Et quò clariùs intelligebat, huiusmodi ordines Regno, siue potiùs Tyrannidi suæ obfuturos, eò hostis acriùs & violentiùs instabat & vrgebat; Deo tamen ex altera parte eosdem adiuuante, & tanta gratiæ copia perfundente, vt bonorum operum feracissimi, semper magis atq; magis inuicto animi robore enitèrent.

At quæ causa, dixerit fortè quispiam, cur Deus velit sibi charos, tot casibus volui, tot periculis obiici, tantisq; vexationibus exagitari? causa liquet: Quia locus, in quo degimus, locus est certaminis, hostium, probationis & victoriæ. Hinc requiritur, vt more Ducis nostri variis laboribus cæleſtem coronam nobis comparemus. Cælum patria est filiorum Dei, locus pacis, amicorum, mercedis & gloriæ. Antiqui

tiqui Romani in prouinciis exteris bellum gerebant, & in vrbe sua triumphabant. Inter actiones humanas primum locum sibi vendicant res in bello fortiter & præclarè gestæ. Nam vt quis tam egregia facinora edat, oportet, vt & animi virtute, & robore corporis excellat. At in actionibus Christianis & Religiosis, principatus debetur illis, quæ ad spiritualia arma & certamina pertinent, quæ longè plus difficultatis continent, quàm externa: quia virtutes quoque longè præstantiores requiruntur; & sæpè fit, vt qui in militia hac externa optimus & strenuissimus Imperator est; is in illa spirituali, vix caculæ munus ritè obire queat; tum scilicet, cùm domandæ occurrunt prauæ cupiditates, libido, ambitio, auaritia, & id genus alij hostes. Nihil ergo mirandum, si Deus velit suos seruos probare suam virtutem in hac tam nobili palæstra. Cùm igitur Deus ex peculiari cura, qua rebus omnibus decenter & conuenienter prouidet, hac postrema mundi ætate suscitauerit hanc nouam Societatem, in præsidium & subsidium Ecclesiæ suæ afflictæ, contra Sathanam, eiusq; cateruas; non est dubitandum, quin hostis iste cum suis manipulis, quorum præcipui hæretici, huic recenti famulorum Dei agmini malè velit & faciat; & eò magis, quò clariùs intuetur, quantum reipublicæ suæ ab hac Societate detrimenti & cladis impendeat. Nam & ipsæ feræ, quibus ferocia maior, ex ingenti venatorum numero, in illos potissimùm incursant, quos telis & hastilibus sibi imminere conspicantur.

Neminem fugit, quanta Societas hæc pertulerit in suo capite, & vt Ribadeneira loquitur, antequam nata esset, & quanta in membris; postquam nata, quanta in Collegiis extruendis, fundandis & dotandis, quanta in omnibus suis partibus, etiam Nouitiis. Quis Religionis Institutor tanta vnquam aduersa passus est, martyrio excepto, quanta Ignatius

Quanta Iesuitæ ubiq; sint passi, & præsertim in Gallia.

tius de Loiola in Hispania, Gallia, & Italia? Quid non passi sunt permulti huius Societatis doctrina & virtute insignes viri? Quis nescit, vt de Gallia nostra loquamur, impostoras & calumnias contra Ioannem Maldonatum, Edmondum Augerium, Claudium Matthæum, Iacobum Tyrium, & iam contra Hannibalem Codretum, Iacobum Comoletum, Bernardum Roillet, Ambrosium Varadium, vt prætermittam eos, qui recenti memoria fuerunt aut extremo supplicio extincti, aut quæstionibus torti Parisiis, aut ex Gallia superioribus mensibus proscripti, imò in ipso etiam nomine & titulo Societatis suæ exagitati sine modo & exemplo: licèt aliquæ Religiones sint, nominibus, hominum inuidiæ magis obnoxiis, insignitæ, vt suprà ostendi. Notum etiam est, Iesuitas nunquam fixisse pedem vel sedem, quin statim tanquam rerum aduersarum cumulo propemodum obruti fuerint, ita vt meritò quidam ex Iesuitis olim dixerit; Collegia non exędificari antiquo more, vt templum Salomonis absq; strepitu & sonitu mallei & dolabræ, sed nouo modo & ritu, instar Ecclesiæ Iesu Christi crucifixi, non sine laboris & sudoris fragore & gemitu. Quod ad Nouitios attinet, maior eorum pars plerumque malè tractantur, aut à parentibus, aut consanguineis, & infinitas patiuntur molestias, vt mundi laqueis sese extricent.

A triginta annis nullus Nouitius visus est, ad Episcoporum, Archiepiscoporum, Cardinalium, Prælatorum, Procerum & Parlamentorum tribunalia abduci, & tanta contentione à Religionis ingressu, quasi ab ara Dei abripi, totque molestiis diuexari, præter Societatis Canditatos & tirones, aut si qui pauculi aliorum Ordinum his adiiciendi videntur: licèt reuera ad quoduis Religiosæ vitæ institutum aptissimi sint, & omnibus illis dotibus exornati, quæ à tirone exigi solent, præsertim in Societate, in quam nullus sine accurata

curata probatione & examinatione cooptatur. Hinc quemadmodum dæmon olim Societatis huius ortum, diemq; natalem præpedire conatus est, persequendo primum auctorem: ita eiusdem progressum & conseruationem tollere molitur, tollendo & abigendo semen illud, ex quo quotidie nascuntur, qui Societatem conseruent & perpetuent. Quo pacto olim etiam Pharao pueros masculos Hebræorum extinguebat, vt totam nationem deleret. Et cur diabolus tanto furore inistam Societatẽ debacchatur? Quia nihil aliud cupit, quàm vt Societas hæc, sicut & alij Ordines, funditus extirpetur & aboleatur. Cur Iesuitæ tot vbique inuenerunt aduersarios? Quia vitiis & flagitiis omnia redundant, in quæ, tanquam imperterrito pectore milites, velis remisq; pugnant, nec parum laudis inde consequũtur, quod in prima acie stantes primi semper hostem in prælia poscant, primique pro Christo quosuis labores subeant, ferisq; fluctibus agitentur. Honori illis est, quodlibet pro Christo exilium, & quæuis proscriptio; vt ita vestigiis patientiæ suæ omnes orbis prouincias consignent. Honori illis est, in Oriente tinxisse nouum orbem proprio sanguine, truculenta Ethnicorum manu effuso, & in Occidente Oceanum tot sociis vna strage hæreticorum rabida perfidia interemptis. Honori illis sunt calumniæ & criminationes ab improbis & Ministris, & in primis ab Inuectiua tua profectæ; tantumque abest, vt propter res tam aduersas abiecto sint animo & fracto, vt inde non parum spei concipiant, fore, vt victoria eò sit glorioſior, quò pugna nunc ingruit molestior & vehementior.

CAPVT LXXIII.

Examinatur Epilogus Arnaldi.

IN Peroratione eloquentiæ tuæ frena laxasti, tædisque ardentibus exagitatus, & œstro percitus calcitras, tonas, fulminas, omnia permisces, & quidquid toxici & rabiei sub pectore latebat, eructas, omnesq; tuas cohortes ex trecentis & viginti mendaciis, ducentisq; calumniis collectas, explicas, & in apertum profers. Vbi Latinè in ea verba prorupisti: *Quãtum potero, voce Contendam*; Vbi vocem tuam futuris seculis consecrasti; vbi etiam vltimo impetu ostendisti, te esse hæreticum, dum apertè testificaris, te non posse vllam quietis partem capere, donec ex Gallia Iesuitę exterminentur; tandemq; optas, vt inde etiã Religio Catholica cum Iesuitis proscribatur. Quid enim aliud sibi vult hæc tua Oratio? *Nec vnquam profectò à curis vacuus ac solutus hic meus erit animus, quamdiu Iesuitæ, Confessores illi & instructores talium Assasinorum, ictus suos destinare poterunt, non in pectus modò & latera, sed in iugulum ipsum Galliæ, imò Regis. At vt primùm hunc communem aerem purgauerint præsentiæ suæ fuga, tunc securus agam, tunc lætus tunc videbo fractas dissectasque tota passim Gallia infortunatas illas Hispani machinas, Omnes fraternitates illæ nominis Iesu, chordæ, cucullæ, coronulæ, rosaria, collaria paruula, & alia infinita in fumum abibunt ac ventum.* Sodalitates igitur nominis Iesu, & Congregationes B. Virginis, & alias, appellas tu *Hispaniæ infelices machinas & molitiones*, & vt eas exterminandas esse suadeas, suades, vt Iesuitæ expellantur. Sed dic mihi, Arnalde, suntne Congregationes istæ bonæ, an malæ? Si abnuis esse bonas, hæreticum te patefacis: Si annuis bonas, cur eiici cupis? An non quia hæreticus & improbus? Et si expellendi, quicunq; has Sodalitates fouent & tuentur; oportet igitur cum Iesuitis proscribere reliquos etiam Religiosos, qui plerasq; illarum gubernant: Iesuitæ in suis Collegiis nullas alias habent, præter eas, quæ sunt B. Virginis; tu cupis omnes eiici; cupis ergo, vt

go, vt qui sunt aliarum Congregationum administratores, exterminentur, vt omni cura & metu soluaris.

Eadem vtrinq; ratio est, quam non ignorauit, sed publicè alia quadam occasione exposuit Dux Niuernensis, quando in libello suo supplici dixit: *Si Iesuitæ ob sermones quosdam expellendi sunt, & si rogatu & impulsu Rectoris decretum est, vt omnia Collegia in Galliis euertantur; iure etiam postulabitur & obtinebitur, vt Monasteria Minimorum & Franciscanorũ & Dominicanorum aboleantur, cùm eadem sit illorum, quæ Iesuitarum causſa.* Idem in proposito dicere licebit. Si Iesuitæ in exilium agendi sunt, vt tollantur Congregationes, quibus præsunt; oportebit etiam eiicere quatuor Mendicantium Ordines, & omnes Religiosos, & Religionem Catholicam ex Gallia cum suis Congregationibus, vt Arnaldus sit quietus & formidinis expers. Nec abhorrebit, hoc ab hæreticorum consuetudine, qua Religiosos non simul, sed sigillatim exterminant, sumpto initio à Iesuitis, si in eorum vrbibus habitent. Ita fecerunt Pameriani, ita fieri optas in Gallia, & incipis à Iesuitis: talis patronus es Galliæ & Religionis. Miserrime & funestissime causſidice: vtinam saperes & intelligeres, quàm aptum & exoptatum diabolo tua lingua sit organũ, & quàm idoneum instrumentum parandi & muniẽdi viam Antichristo. Quid enim aliud facis infamando hunc Ordinem, eiusq; ex Gallia expulsionem & proscriptionẽ vrgendo, actione tam dentata & acerba, quàm quòd (vt innumera alia damna silentio præteream) iuuentutem priuas bono quantumuis immenso precio non æstimabili; à Doctoribus Catholicis alienam efficis; à doctrina Catholica retrahis; ne ad Christum accedat, impedis, dum aditum ad illos, qui Christum annunciant, intercludis. Quod, quid aliud est, quàm hortum Ecclesiæ in ipsa quasi plantarum teneritudine depopulari, & in ipsis fundamentis euertere, viamq;

Dictum Ducis Niuernensis.

viamq; sternere aduentui illius, quem diuina oracula *filium perditionis* nominant.

Ioannes Gerson inter præcipuos sui seculi Doctores, Cancellarius Parisiensis, bonus Gallus & bonus Catholicus, postquam ostendisset ex Scriptura, quàm gratum Deo sit obsequium, quod pueris instituendis impenditur, & quantoperè odisset illos, qui teneram ætatem, vel suasu vel vi, vel alia ratione abs se auerterent, scripto etiam consignauit media, quibus ad se adduci possent, quæ omnia affinia sunt iis, quæ in Iesuitarum scholis obseruantur, & vsurpantur. Et sub finem, postquam declarauerat, quanti momenti sit recta iuuentutis informatio ad reparandam & instaurandam Academiam Parisiensem, & ad totius Ecclesiæ bonum promouendum, sic concludit: *Ex hac præterea consideratione consequens est, nullum magis inimicari Ecclesiæ, & præparare omnia Antichristo in eius demolitionem, quam facto aut verbis, clàm vel palàm, obuiantem voci Christi dicentis: Sinite paruulos venire ad me.* Hac igitur institutione sublata, probasti, te insignem esse Ecclesiæ hostem, euersorem, & Antichristi prodromum, omnibus modis aduersantem Christo, qui paruulos ad se venire iubet.

Ioan. Gerson libro de trahen. ad Christũ paruul. consid. 2. ad finem.

CAPVT LXXIV.

Quæ sit natura calumniæ & calumniatorum.

Hactenus puto me omnia tua argumenta dissoluisse, & perspicuè demonstrasse, Iesuitas non esse caussas cladium Gallicanorum, sed potiùs magnarum vtilitatum in Regnum nostrum auctores: te verò miserum & ignarum esse caussidicum, sine lege, sine probatione, sine ratione, repando duntaxat rostro, dentibus

bus & vngulis armatum, & præ omnibus his malitia & improbitate, quæ est vita & anima actionis tuæ. Finiam, si tamen vnum adhuc non exigui pro Iesuitis ponderis attulero, & est hoc, vt declarem naturam, conditionem & effectus calumnię. In hac enim neruus Inuectiuæ tuę consistit, qua proinde euersa & dissecta, necesse est, te inermem, omnibusq; præsidiis destitutum reddi, exutumq; omnibus vestimentis, honorariam mulctam subire, & palinodiam cantare oportet, accensa face, donec Iustitia diuina vel humana, vel vtraque grauiorem tibi pœnam decernat.

Quid est igitur calumnia, & quæ eius natura? Est detractio inuidiosa constans malignis cauillationibus, & in speciem probabilibus interpretationibus dictorum & factorum proximi, vt diffametur, & inuisus vel despicabilis apud alios efficiatur. Auum habet diabolum, parentem Superbiam, matrem Inuidiam: ex diabolo prognata est Superbia, ex hac Inuidia, & ex his duabus tanquam proximis parentibus Calumnia; cuius sedes mens improbi & scelerati; meta, quam petit & ferit, viri probi, eorumq; dicta & facta etiam laude digna, & ex probis ij potissimùm, quorum vita in publico versatur, bonoq; publico operam suam nauant: rarò impios aggreditur, quia vitium non pugnat, nisi in oppositam sibi virtutem, & improbus, quâ improbus, non habet materiam calumnię, sed potiùs contemptus & supplicij, & vt inuidię subiectus non est, ita nec calumniæ, quæ ex hac existit. Familiare, imò solenne est calumnię, alterius virtutem onerare & traducere, nomine vitij contrarij, suumq; vitium alteri affingere, virtutisque actionem verbis malignis deprimere, falsisq; interpretationibus imminuere, adiuncta semper praua aliqua circumstantia, non sine fraude & mendacio. Ioseph castus erat, & hero suo fidus, at calumnia velut adulterum & infidum traducebat, cùm tamen illa,

Definitio calumniæ.

Origo eius.

Genes. 39.

quę insontem accusabat, vtroq; crimine teneretur. Castitas vocabatur impudicitia, & meretrix insimulabat illum libidinis, cui pudicitia tam erat cordi quàm vita. Susanna matrona casta & pudica, postulata fuit adulterij per Iudices adulteros. Apostoli pleni sancto Spiritu, de rebus cæleſtibus & Christiana fide diuinè prorsus disserebant, Iudæi tamen criminabantur eosdem tanquam musto ebrios, & quid dicerent, ignaros. Regnum calumniæ & præcipua penetralia sunt aulę procerum, vrbesque, quarum incolę vitiis & flagitiis coopertí.

Dan. 13.

Act. 2.

Vbi regnet calumnia.

Porrò quemadmodum diabolus huius sceleris auctor est: ita ab eodem nomen sibi vendicat: Nam *diabolus* calumniatorem significat, eaque perpetim ante omnia velut scuto & galea vsus est, & quidem primo semper loco, & in prima acie. Primum, quod post lapsum egit diabolus, vt mundum turbaret, hominesq; à destinata salute remoraretur, fuit calumniari, & quidem ipsam bonitatem. Nam cùm Euam in præceps agere vellet, calumniatus est præceptum Dei, significans id homini positum per inuidiam, ne esset Deo similis, & adscribens hac ratione Deo vitium, quo ipse vel maximè laborabat. Ille idem, qui omnis improbitatis & nequitiæ sator est & artifex, non abstinuit hac quoque in re Deum traducere & calumniari, malorumq; originem ad eum referre, excitando hæreticos, qui blasphemo ore asseuerarent, *Deum esse peccati auctorem*, quod diuinæ potentiæ, bonitati & sapientiæ penitus repugnat, cùm peccatum oriatur ex infirmitate, malitia, & insipientia. Hanc hæresin omnibus inferorum monstris horribiliorem suscitauit Caluinus hoc nostro sæculo, cum Zwinglio, Beza, & aliis: quamuis pudore & rubore suffusi cogantur aliquando verbis tectis & simulatis, ambiguis & vacillantibus tam impiam blasphemiam tegere: sed vt maximè tegant, non tamen

Gene. 3.

Cal. lib. 1. Inst. cap. 17. & 18. & lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 23. Zwing. ser. de prouid. cap. 5. Beza contra Castal.

men omnino contegent aut sepelient. Nimis enim apertè suis in libris id affirmat. Si diabolus nomini suo conuenienter ausus est calumniari Deum, quantò minùs credendus est peperciſſe seruis Dei? Omnium, quos terra alebat; in medio nationis prauæ & infidelis, iustissimus erat Iob, illum tamen coram Deo & Angelis calumniis apetiit dæmon, dicere nihil veritus, Iob ea, quæ ad Dei gloriam & cultum agebat, agere spe & dulcedine diuitiarum, quibus à Deo cumulabatur: quod quid aliud erat, quàm totum meritum sanctissimi illius viri funditus tollere & extirpare? Omnium seruorum fidelissimus, & bellatorum, quos Saul in sua familia habebat, bellicosissimus erat Dauid, in quem calumniæ spicula vibrare aduersarius humani generis minimè est cunctatus excitatis canibus, qui inuidiæ rabie perciti allatrarent trophæa & præclara facinora Dauidis: infectati enim eum sunt apud Regem, vt labem & pestem Regni, arrogantia & ambitione tumidum, vt insidias tendentem ipsi Regi, quò, Rege interempto, sceptri potiretur. Quid multa, omnes actiones & propemodum cogitationes Heroïs inuicti & generosi criminationibus & calumniis maledicorum patebant. Qua de caussa sæpè precatur Deum, vt se liberet à lingua dolosa, & à verbo mendaci. Iob. 1. Patet hoc potissimum ex libro 1. Regum.

Secundus Dauid primo sine vlla comparatione sanctior & melior, omniumq; domesticorum & familiarium Dei fidelissimus, eandem subiit aleam, instinctu eiusdem veteratoris, & opera eorum, quibus ipse virus tabidæ suæ mentis afflauerat. Nonne Christo tribuit cognomenta virtutibus & studiis illius planè aduersa; idq; eo fine, vt bonam de eo existimationem è mortalium animis eriperet? Anne vllus extitit, qui viam & dogmata veritatis accuratiùs, fideliùs, & explicatiùs traderet & explanaret, aberrantesq; recto tramiti restitueret, quàm Christus ipsa Veritas, à qua omne Psalm. 11. & 51.

verum

Matth. 27. Luc. 23. verum? Accusatus tamen est, quasi populum seduceret, seductorq; audiit. Idem Redemptor noster verbo & exem-
Matt. 17. & 22. plo, id quod Cæsaris erat, Cæsari reddidit, reddendumque ab omnibus docuit: nec tamen rebellionis, seu potiùs perduellionis accusationem effugit, tanquam hostis Cæsaris &
Ioann. 19. Luc. 23. Reipub. Quicunq; se Regem facit, contradicit Cæsari, & inimicus Regis est. Inuenimus hunc prohibentem tributa dare Cæsari. ius tributi exigendi, est neruus Regni. Quis vnquam pacem magis dilexit, quàm ipse, qui princeps est pacis, verus Salomon & Rex pacificus, annuncians nobis per Angelos pacem in suo Natali, pacemq; nobis in vita donans, & sub ipsum mortis tempus eandem velut testamento nobis legans & confirmans: Et tamen *seductoris* infame nomen subiit, communisq; quietis *turbator* appellatus est.
Luc. 23. Inuenimus hunc subuertentem gentem nostram. Item: Cõmouet populum. Fuitne quis vnquam magis sobrius & tẽ-
Matth. 11. Luc. 7. perans in victu, quàm ipse? *Vorax* tamen & *potator vini* dictus est. Quis Prophetarum potentiùs & efficaciùs ex corporibus obsessis dæmones expulit, quàm Christus: & ta-
Matth. 9. 12. Luc. 7. men *sortilegi, magi, & dæmonum amici* nomen tulit: adeò impudens & importunus est diabolus, in calumniandi studio, adeoq; iuuat improborum linguam conuiciis & criminationibus aduersus insontes armare & exacuere.

CAPVT LXXV.

Arnaldum & Hæreticos obiicere Iesuitis eadem scelera; quæ olim Idololatræ Christianis.

VIa verò summa illa sapientia non ignorabat, diabolum semper fore sui similem, id est, diabolum & calumniatorem, neq; magis parsurum membris & corpori Ecclesiæ, quàm capiti; ideò futuræ infesta-

festationis & impressionis commonere volens discipulos, & in his omnes Christianos, ne animis deficerent, sed potiùs exoptatos fructus, ex omnibus molestiis colligerent, hęc ait: *Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominum suum. Si* (calumniatores) *patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* In primo sermone, quem ad discipulos habuit in monte, documentis animauit eos, illis, quę paulò antè attulimus: *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines propter me, & dixerint aduersum vos omne malum. Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* Quod prædixit, id nec illis, nec Ecclesiæ defuit. Nam si vnquam viri iusti pertulerunt calumnias, Apostoli certè & primi Christianorum eas pertulerunt & inter Apostolos S. Paulus modo singulari electus Apostolus, ante alios calumniis improborum exagitatus est, quos nulla religio absterruit, quò minùs mentirentur, Paulum non esse Apostolum, vt ex eius epistolis apparet, in quibus sępè Apostolatus sui testimonia profert, confutatis pro bono Ecclesiæ maledicorum hominum conuitiis & criminationibus.

Luc. 6. Matth. 10. Matth. 5. 1. Cor. 9.

His adde, veteres Christianos, quibus ab Ethnicis atrocissima crimina, & à Religione Catholica planè abhorrentia, per summam iniuriam sæpiùs obiecta sunt. Primò traducebant & criminabãtur tanquam superstitiosos, & Christianam Religionem appellabant, nominatim Tacitus, *exitialem superstitionem*, planè mendaciter & calumniosè. Nam apud Christianos vera erat Religio, & Ethnici innumera superstitionum multitudine tenebãtur obruti. Secundò traducebantur Christiani tanquam Magi & venefici, quodq; carnibus humanis, & quidem propriorum liberorum vescerentur, hostes Imperij & Imperatoris, pro quo nullas preces funderent, rei læsæ maiestatis, rei omnium flagitiorum, inimici Regum, Legum, bonorum morum, & totius

Tertull. in Apolog. & in libro ad Scapulam. Tacit. li. 15

naturæ, vt ex Tertulliano colligi potest. Tertiò Christianis ascribebant causſam omnium cladium, quibus affligebatur Respub. quam calumniam multis depellit S. Augustinus in libris de ciuitate Dei: ex quo concludebant, Christianos exterminandos, & è medio tollendos esse. Quid autem tot cladibus Romanum Imperium attriuit præter scelera & flagitia, quibus Pagani immersi viuebant?

Similis est hæc calumnia illi, quam nunc diabolus per Zwinglium, Caluinum, & alios hæresiarchas in ipsum Deum iacit, dum isti Deo causſam scelerum, & quod hinc est consequens, malorum omnium assignant, quod nihil est aliud, quàm ipsam diuinitatem de throno & solio suo, quantum in ipsis est, deturbare. Nam qui Deum statuit, absq; bonitate, aut quod deteriùs est, peccati originem & fontem facit, is Deo naturam diuinam adimit, eamq; destruit, non minùs quàm ille hominem aboleret, qui animam rationalem, aut regiam dignitatem, qui diadema, præcipiendiq; potestatem & eminentiam à rege aufferret. Has calumnias, quas Ecclesia in genere passa est, pertulerunt in specie multa Ecclesiæ membra, præcipuè Religiosi, quos præ cæteris sibi exagitandos diabolus sumpsit, vt sæpè iam diximus.

Longior iusto essem, si plura adderem, obiter tantùm & breuiter ostendam, criminationes istas in hanc quoque Societatem coniici, cuius nomen & existimatio à calumniatorum omnium parente, eiusq; satellitio tantò validiùs oppugnatur, quò clariùs videt Societati ad propositum finem obtinendum bona fama & existimatione opus esse.

Actio Arnaldi est quidam Calepinus calumniarum.

Tua porro Actio Calepini aut alterius Lexici loco seruiet, vt in ea calumniæ & criminationes, quæ olim in Christum & Ecclesiam coniectæ sunt, in vnum fascem comportatæ & colligatæ reperiantur. Nam Iesuitas vocas *impostores & seductores*; Idem nomen tribuerunt Iudæi Christo. Ministri

Præ-

Præceptores tui, appellante eosdem *hypocritas & superstitiosos*: à Paganis afficiebantur olim Christiani his nominibus. Caluinus dicit eos esse *Anabaptistas*, tu quoque cum Ministris Societatem hanc indigitas *sectam*, quod vocabulum proprium est hæreseos, & doctrinam S. D. N. appellas *erroneam & schismaticam*. Omnes hæretici asseruerunt, Ecclesiam in errorem labi posse, docuit hoc Arius: item Manichæus & alij. Ministri rumorem sparserunt in quibusdam Galliæ partibus, & maximè Petragoricis, Iesuitas esse *Magos & Incantatores*: tu cum iisdem eos accusas magiæ & veneficiorum, quibus animos, iuuenum præsertim, dementent, & in præceps abripiant. Nec Iudæi abstinuerunt hanc calumniam iacere in Christum, & Ethnici in Christianos, quorum facta naturæ vires superantia, magicis artibus plerumq; adscribebant. Græci & Romani à fide alieni accusabant Christianos, quòd manducarent carnes humanas: idem crimen intentant Pagani Iapponenses Iesuitis in Iapponia.

Ministri Galli Iesuitas ab aliquo iam tempore reos agunt læsæ maiestatis, quos tu quoque imitaris. Pagani nihil frequentius in ore habebant contra Christianos, & Iudæi eodem crimine filium Dei accusarunt, vt interficeretur. Dicis, nec tamen probare potes, Iesuitas esse hostes & paricidas Regum: nec pro felici eorum successu preces velle fundere, eosq; *hostes* Reipub. appellas. Eadem scelera obiiciebant olim Idololatræ Christianis, & eodem modo, nimirum sine probatione & sine vlla verisimilitudinis specie. Hinc rectè Tertullianus: *Circa Maiestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, nec Cassiani inueniri potuerunt Christiani.* Iesuitæ possunt idem dicere: *Diffamamur ab hæreticis velut hostes Regum & Reipub. reiq; læsæ maiestatis*; cùm tamen non apud nos, sed apud hæreticos huius gene-

ris homines reperiantur, quorum mos priuata auctoritate consilium inire, vt Reges de throno deiiciant in vincula abripiant, & demùm trucident, nõ aliam ob causſam, quàm quia hæresi libera frena non permittunt.

Ex sententia tua Iesuitæ omnia abolent, leges, mores, & consuetudines, eorumq; præsentia, causſa est omnium malorum Galliæ: hinc proscribi & in exilium agi debent. Eadem querela infectabantur Ethnici Christianos, Ecclesiâ recens fundatâ. Ecce quàm graphicè exprimas & repræsentes nobis mores & ingenium Magistri tui diaboli, qui sibi perpetuò similis, docet discipulos suos consuetudinem à se introductam propagare & continuare. Illud tamen memineris, Iesuitis honori potiùs, quàm fraudi has tuas, tuorumq; calumnias & criminationes fore, quas hactenus õnes patefeci & refelli. Dicere solebat Tertullianus de Nerone Tyranno Christianis infestissimo: *Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi aliquod grande bonum, à Nerone damnatum esse.* Idem hîc vsurpo: Qui hæreticos & Arnaldum nouit, is nouit etiam quos condemnant, probos, & qui condemnant, improbos esse.

In Apolog. cap. 5.

CAPVT LXXVI.

Quid ex sua Inuectiua Arnaldus sit reportaturus.

HInc tua & hæreticorum accusatio erit Iesuitis lõco panegyrici, & encomiasticæ Orationis: crimina, quæ tu & hæretici iisdem imposuistis, virtutum his vitiis oppositarum testimonia & notæ erunt. Vocasti, more Ministrorum, Iesuitas *auaros, arrogantes, crudeles, seductores, seditiosos, Regum latrones:* at viri

at viri probi & pij, cùm viderint tales esse calumniatores, simulq; in memoriam reuocarint, dupliciter mentiri solitos, attribuendo videlicet propria vitia aliis, virtutemq; nomine vitij oppositi afficiendo; confestim colligent, hos ipsos calumniatores esse, qui sua scelera ad Iesuitas deriuare, & à se amoliri velint, & apertè testabuntur, Arnaldum, hæreticos, eorumq; Ministros esse *auaros, rapaces, seductores, seditiosos, & interfectores Regum*, quod calumniosè dicunt de Iesuitis. Secundò concludent etiam, Iesuitas præditos esse iis virtutibus, quæ prædictis vitiis planè repugnant, & loco eius, quod tu dicis, *Iesuitas omnia pessundare*, dicent, Iesuitas vbiq; plurimum vtilitatis Reipub. afferre, & ita de cæteris. Et præter hanc laudem apud homines, meritò etiam expectabunt, & tandem à Deo accipient coronam & mercedem patientiæ suæ, tanquam Magistri sui symbolo insigniti, cùm similes cum illo calumnias pertulerint: vocati *Beelzebub* sicut ille, quodq; digni sint habiti iisdem opprobriis & contumeliis lacerari, quibus Dominus cum sua Sponsa Ecclesia affectus est, quodq; in suo corpore gestare meruerint stigmata Domini nostri Iesu Christi, quę omnia ex animo exoptant: tibi verò contrarium continget: tandem enim cõuictus, quòd animo conceperis, & postea pepereris publicè omnia illa crimina, quæ Iesuitis imponis, celebraberis sicut ille: qui Dianæ templum incendit, & sicut Constantinus Copronymus, qui turpiter conspurcauit locum, in quo per aquam consecratam purgantur animæ sordes. Eris fabula seculis futuris, & posteritas, cui in Peroratione consecrasti mendacem tuam vocem & calumnias tuas, diris te deuouebit, & tua verba detestabitur per sua. Proceres, Reges, Respublicę, Vrbes & Ciuitates omnium regionum, quibus Iesuitę chari & grati, ob virtutem & eruditionem, execrabuntur tuam linguam, tuum calamum, tuam memoriam,

Herostratus Ephesinus de quo Strabo lib. 14. Suidas, Zonaras, Cedr.

nomenq; tuum, tum quòd dente canino laceraſti eos, quos omni honore dignos exiſtimant, colunt & reuerentur, tum quòd ſub velo Ieſuitarum condemnaſti, contempſiſti, & iniuria affeciſti iudicium & auctoritatem Sedis Apoſtolicę, quæ Societatem iſtam tot modis approbauit, & omnium Regum & Rerumpub. à quibus admiſsi & recepti ſunt inſigni beneuolentiæ ſignificatione.

In vrbibus, in quibus ſunt Ieſuitarum Collegia, materiam ſcribendi ſubminiſtrabis iuuẽtuti, niſi impediatur, quod erit difficile factu. Oratores te ſuis declamationibus celebrabunt, Poẽtę te ſuis carminibus decantabunt, vt Cicero Verrem, Homerus Therſitem, Ouidius Ibin: tuum nomen Antonius per Apocopen detruncabitur, & redactum in *Toni* fies *Toni* Palatij, Antonius ſine capite, quemadmodùm Aduocatus ſine capite es ad ſimilitudinem veterum hæreticorum Acephalorum. Agnomen tuum ſuppeditabit Gallis nouum verbum, vt exprimant vetus vitium: loco illius verbi *Calumniari*, vſurpabunt *Arnaldiare*, vt olim Romę, formabatur à nomine *Syllæ Syllaturire* pro *aſpirare* ad Tyrañidẽ. In cathedris & theatris eris *Arnaldus furioſus*, *Arnaldus glorioſus*, *Arnaldus calumniator*, *Arnaldus diabolus*, *Arnaldus de angulo*; non tantùm Pariſiis, vt Magiſter Petrus de Coignet ſeu de Angulo, ſed per totã Franciam, & hoc merito tuo. Nam ipſe quidem paulò duntaxat iniquior fuit Eccleſiaſticis & in re exili: tu eam Societatem conuitiis inſectandam tibi delegiſti: quæ vt toto orbe diffunditur; ita etiam toti orbi vtilitates multò maximas parit, & quidem in fama & exiſtimatione proſcindendam & lancinandam eam delegiſti. Tunc ſi vixeris, intelliges, quantum beneficium in te contulerint Ieſuitę, cùm peterent, vt *foribus occluſis* loquereris, & quàm imprudens & inconſideratus fueris, quando anguſtiis illius conclauis minimè contentus patulo & hiante ore intra *ianuas clau-*

as clausas vociferabaris, vt foris exaudiri posses: sed senties aliquando, te plus satis liberè, & dixisse, & scripsisse.

In præsenti fortasis gloriaris, & mirificè te circumspicis, elatus secundo vento cæptis tuis afflante; & præconiis eorum, qui tibi rhytmos panxerunt, auresq; tuas mirificè compleuerunt, tumefactus, cùm à triginta annis, imò dicere ausim, nunquam omnino vllus hæreticus extiterit, cui concessum fuerit in tanto auditorio & consessu tam hæretica & effreni lingua verba facere: sed si non cares funditus omni iudicio, quo tuam fortunam agnoscas & præuideas, detestaberis, crede mihi, tuam libertatem, tibiq; ipse hostis eris, non tantùm tempore futuro, sed iam etiam hoc præsenti. Nam Iudices tui non potuissent meliùs punire tuam impudentiam, quàm permittendo, vt ea, quæ dixisti, diceres, & posteà typis vulgares.

Ephori, supremi Iudices Spartiatarum, cùm quidam Clazomenij contemptus & irrisus caussa puluere fœdassent eorum thronos & sedes regales, non alia pœna in illos animaduerterunt, quàm vt præconis voce publicè proclamaretur: *Licet Clazomenijs insanire*: tibi licuit sustinere per- *Aelian. lib. 2.*
sonam aduocati impudentis, scriptoris mendacis & calumniatoris. Summum supplicium, quod Deus præfractis & corripi nescijs in hac vita minatur, consistit in permissione omnium eorum, quæ facere libet, vt voluntate effrenata, in profundum peccatorum sese præcipitent; quia scelera sceleribus accumulando, maiora etiam & atrociora apud inferos tormenta sibi præparant, & hæc ingens est pœna, licèt scelerati non magni eam pendant, dum hîc viuunt, quippe omni sensu destituti, peccatis excæcati & obdurati, & in lethali illa sua caligine penitùs sepulti. Hanc pœnam deprecabatur à se, & ab omnibus Deo charis B. Dauid illa precatione: *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne* *Psalm. 50.*

auferas

auferas à me. Miserum te, Arnalde, qui pœnam hanc non modò non exhorrescis, sed etiam in parte magnę cuiusdam fælicitatis ponis.

CAPVT LXXVII.

Conclusio totius Apologiæ.

MIserum etiam te, quando, vt tuo desiderio omni ex parte satisfiat, Iesuitæ ex tota Gallia eiicientur, expulsionem hanc tuam reputabis victoriam, & quidem claram & celebrem, sed magno tibi constabit. Pyrrhus deuictis semel Romanis & nobilioribus, belliq; peritioribus amissis: *Si adhuc vnam,* Plut. in Pyrrh. inquit, *obtinuerimus victoriam, actum erit de nobis.* Prima victoria, quam obtinuisti, constitit, tuo iudicio, in impunitate dicendi & scribendi aduersus Iesuitas; sed in hac victoria iacturam, imò naufragium feciſti eius, quod viro probo & virtutis studioso charissimum esse debet, videlicet honoris, existimationis, & bonæ conscientiæ. At secunda victoria, si fors tibi obtingat, licèt eam tuo robore nunquam sis consecuturus, sed aliorum fortasis improbitate & impio conatu, vt optatis tuis plenè & perfectè potiaris, odium omnium mortalium in te duplicabit, magisq; obnoxium reddet diuinæ iustitiæ, quam impugnasti, impugnando Iesuitas; & quod admodum tibi molestum eueniet, ipsa tua victoria Iesuitis triumphum & coronam augebit; & vt hęc victoria non tuo, sed alieno labore parta, tibi erit ignominiæ, dolori, & pœnæ: sic discessus Iesuitis erit gloriæ, voluptati, & consolationi. Angentur quidem non exiguo mœrore, cùm viderint, damna huius exilij non ad se, sed ad charissimam patriam redundare; nec sine dolore aspicient Galliam & Gallos laborum & studiorum suorum fructu pri-

ctu priuatos, quos à luporum rabie immunes præstare non est integrum, vti nec satisfacere obligationi, qua quisq; à primo ortu obligatus est natali suo solo, quod primum calcauit & instituit; ægrè etiam tantam ac tam nobilem & florentem iuuentutem deserent, tam multos tenerioris ætatis adolescentulos, spem patriæ, & Reipub. seminarium, quos curare & fouere solebant non secùs, quàm pastor gregem sibi commissum, qui omnes luporum faucibus violentis expositi, in summis periculis versantur; pro viatico tamen sui exilij, & pro solatio doloris secum asportabunt bonæ voluntatis & rectæ conscientiæ thesauros; nec excidet (licèt patriam deserant) memoria communis parentis, quam in oculis & in corde ferunt, & quam Deo assiduis precibus commendant, orantes, vt eam seruet & tueatur, virtutibus augeat, omniq́ue felicitatis genere cumulet, & ante omnia à sæuissima & truculentissima Ministrorum tyrannide defendat: & si exaudiantur, non modò iucunda erit commoratio in aliena & peregrina regione ad meriti in cælis incrementum, sed magna etiam voluptate accipient omnia illa, quę de prosperitate patriæ suę nunciabuntur.

Quocunque verò diuinæ prouidentiæ aura eos deferat, ad quamcunq; mundi plagam perueniant, inter quoscunq; seu barbaros & infideles, seu Christianos & humanitate politos degant, grati semper & exoptati erunt: Tu verò in ipso patriæ tuæ gremio, exul eris, odiosus, inuisus, omnibusq́ue virtutis amantibus execrabilis; neq; ad sidera oculos tollere audebis: quia dies noctesq́; conscientia tua has tibi similesq́; voces occinet: *Lingua tua protulit iniustitiam iampridem animo conceptam & informatam, sicut nouacula acuta vulnus per dolum & fraudem inflixisti: Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa: propterea Deus destruet te in fi-*

uem, euellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Postquam autem mens tua hac carnificina minarum te excruciauerit, non differet reipsa graues à te reposcere pœnas. Nam si vllum crimen est, quod supremus Iudex detestetur, & seueris suppliciis coërceat, id sanè calumnia est, tanquam naturę diuinæ penitùs contraria. Nihil enim summæ veritati magis repugnat, quàm mendacium: At calumnia non solùm est mendacium, sed & duplex mendacium: tum quia falsò aliis affingit & imponit varia crimina: tum quia id etiam boni, quod quis possidet, per summam iniuriam adimit. Accedit, quòd calumnia mendacium est in ipsis suis caussis execrandum, cùm ex malitia prodeat, per malitiam proferatur, & malitia vndiq; tectum sit & coopertum. Mendaciis porrò ita indulsisti, vt nulla sit in Inuectiua tua pagina, vbi non plurima inueniantur totidem calumniis mixta: Semel tamen inconsultò & temerè videtur excidisse tibi veritas, quando hunc versiculum latinè pronunciasti:

Pectore concipio, nil nisi triste meo.

Facilè mihi id, quod dicis, persuades; sed suadeo & hortor, vt tandem aliquando boni quippiam animo concipias, deq; conuersione tua, & ad Catholicam Religionem per salutarem pœnitentiam, tuorumq; scelerum detestationem, redítu, seriò cogites. Nec multum tibi laborandum erit, vt flagitia tua in mentem confessionis faciendę gratiâ reuoces: nam potissimam partem iam oculis & animo tuo spectandam subieci, in hac mea Apologia: Iesuitæ tua conuersione lætabuntur: totum emolumentum ad te redundabit. Ne inuideas, oro, hoc gaudium Iesuitis; sed id potiùs obuenire patiaris, vt aliquo modo tot calumniarum plaustra, quibus eos insectatus es, compenses: si morem gerere nolis, vt quidem te nolle vereor, certè dignissima est improbitas

tua,

tua, quæ cælitùs non misericordiam, sed sempiternam pœnam consequatur: sed quidquid egeris, perfunctus nunc, quantum potui, refutandi labore, & officio meo, quod tui emendandi, & ad meliora exhortandi caussâ suscepi, iustam occasionem habeo sub finem publicè testandi, te ex præscripto legum diuinarum & humanarum dignum esse supplicio, omnibus illis criminibus debito, quibus Iesuitarum innocentiam mendaciter & calumniosè traduxisti & infamasti.

APPENDIX

AD APOLOGIAM FRANCISCI MONTANI.

INuectiuam Antonij Arnaldi Causidici Parisiensis ab auctore Gallicè editam, transtulerunt hæretici Germani in Latinam linguam, & aliquoties iam typis excuderunt; sed more suo sine loci & Typographi nomine, excepto vno nescio quo, qui in Batauiæ extremo angulo nomen & suum & loci apponere ausus est, cæteris pudore, vt arbitror, absterritis. Quem enim quantumuis impudentem non pudeat nomen & officinam suam publicè dedecorare tot mendaciorum, calumniarum & criminationum centuriis, quibus Arnaldi Actio quanta quanta abundat? Continere tamen se nō potuerunt, quin pro sua in Iesuitas beneuolentia, Arnaldico contumeliarum corpori assuerent supplicem libellum contra Iesuitas, oblatum supremæ Curiæ, nomine Vniuersitatis Parisiensis, vt aiunt, eiusdemq; Curię Arrestum seu vltimam sententiā pronunciatam in Ioannem Schattelium Studiosum, & in Iesuitas, quibus adiecerunt paræneſin ad Principes, vt eodem modo, quo Galli, cum Iesuitis agant. Sed

quod ad libellum supplicem attinet, demonstrauit iam Franciscus Montanus, eum non à tota, imò nec à media Academia, sed à paucis quibusdam Academicis oblatum fuisse Curiæ; qui quales fuerint, satis declarant, cùm Ordinem à tot Pontificibus & ab Oecumenico Tridentino Concilio approbatum, vocant *nouellam sectam*. Nam sectæ nomen à catholicis iam tribui non solet Catholicis, sed hæreticis: neq; sunt sectæ in Ecclesia sed Ordines: neq; mos est Pontificibus & Conciliis, locum dare sectis in Ecclesia, sed Religionibus. Noui apud Tertullianum *sectæ* nomen bono sensu, ipsi Christianæ Religioni crebro dari. Sed nomen hoc durius iam effecit vetustas, vt de *Hostis* vocabulo scribit Cicero. A Religione enim Christiana & Catholica recessit, & propriè in eis, qui arma contra Catholicam Ecclesiam ferrent, remansit; nempe in Hæreticis. Itaque quod Tertull. de nomine *factionis*, hoc ego dixerim de nomine *sectæ*: *Cùm probi, cùm boni coëunt, cùm pij & casti congregantur, non est factio* (secta) *dicenda, sed Curia* (Religiosa familia.) *At è contrario illis nomen factionum* (sectarum) *accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant*; (vt Arnaldus & Caluinistæ faciunt) *qui aduersum sanguinem innocentium conclamant, prætexentes sanè ad odij defensionem illam quoq; vanitatem, quòd existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos*, (Iesuitas) *esse causſam*. Quòd si, vt isti velle videntur, eodẽ sectæ nomine, Societas Iesu appellata fuit, in antiquo decreto Sorbonę; nil mirum: decretum enim illud editum est sub initium Societatis, cùm Iesuitę vix noti essent, imò nec vix quidem: satis est Iesuitis ad defensionem, Sorbonam suum decretum antiquâsse tunc, quando cum aliis omnibus Galliæ Ordinibus Societatem regno & ciuitate donauit, & maximè tunc, cùm post prædictum libellum supplicem decreto edito declarauit, suæ mentis non esse, vt Venerabiles Patres

Ad Scapulam, In Apolog. & alibi

1. Off.

In Apolog. cap. 39.

Patres Societatis Iesu ex Gallię regno proscribantur. Certè Theologi illi præstantissimi & celeberrimi suo suffragio in regnum nunquam recepissent Societatem, neq; Iesuitas *Venerabilium Patrum* nomine dignati essent; si cognito certiùs Societatis instituto, Societatem pro *secta*, & Iesuitas pro *Sectariis* perdendę Reipub. natis habuissent. De Curię Arresto seu Senatusconsulto videat Lector, quid suprà Montanus scripserit, ne hîc frustrà repetamus. Ego ad parænesin me conuerto, quam ita Auctor auspicatur. *Ecquid nunc Reges atq; Principes orbis Christiani ex publica ista & solenni actione vobis videtur de sacrato illo Iesuitarum, post tot, vti constat, grauissimas contradicentium sententias, ægrè tandem approbato & confirmato ordine? Annè vno atq; altero exacto suæ originis lustro, nefarij & infesti sceleris & flagitiosæ vitæ, satis de se dederunt speciminum? adeò vt nulla pænè secta & difficilius incepisse: & celerius & flagitiosius sub sanctitatis & Religionis insignibus adoleuisse atq; in immensum vsque excreuisse videri queat. Vósne existimabitis quenquam ita impudentem fore, nisi illos ipsos omnis pudoris & verecundiæ expertes, qui ausit accusationis huius præcipua capita inficiari? neq; enim hæc in remotissimis Americæ regionibus, sed Lutetiæ in totius Europæ luce gesta sunt.* Meliori iure ego dixerim conuerso sermone ad Principes: Ecquid nunc, Reges atq; Principes orbis Christiani, ex publica ista & solenni Francisci Montani Apologia vobis videtur de Arnaldo & aliis huius generis Arnaldicis calumniatoribus, qui grauissima Senatus Parisiensis sententia damnati, re infecta, repulsamq; passi, ex Curia discesserunt; qui post tot, vti constat, grauissimas contradicentium sententias, ægrè tandem, alia occasione oblata, voti participes effecti, chartas infames in vulgus sparserunt? Annè exiguo foliorum numero nefarij & infesti sceleris ac flagitiosæ vitæ & mentiendi libidinis satis de se dederunt speciminum? Adeò, vt nulla penè calumniatorum

& Sycophantarum & Machiauelliſtarum ſecta, celeriùs & flagitioſiùs ſub boni publici velo & *ſtatus* prætextu adoleuiſſe, atq; in immenſum vſq; excreuiſſe videri queat. Voſne exiſtimabitis, quenquam ita impudentem fore, niſi illos ipſos omnis pudoris & verecundię expertes, qui au ſit Apologię huius Capita inficiari, vel à ſe in alios deriuare? Neq; enim hęc in remotiſsimis Americę regionib⁹ ſcripta & publicata ſunt; ſed in Gallia & Tholoſæ, & in totius Europę luce.

Quod autem iſte ait, multos Societati Ieſu paſsim contradixiſſe, quid quæſo criminis habet? Ipſe Chriſtus *poſitus fuit in ſignum, cui contradicendum erat*, vt teſtatur Euangeliſta; & cui, oro, magis contradictum eſt, quàm Chriſtianæ Religioni? *De ſecta* hac dicebant Iudæi ad B. Paulum: *notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.* Vt porrò hîc Iudęi Chriſtianam Religionem appellant *ſectam*: ita etiam hæretici & Catholici ſimulati, Societatem Catholicæ Eccleſiæ membrum, *ſectam* nominare ſolent. Et certè veterum Doctorum, Origenis, Tertulliani, Iuſtini, Athenagoræ, Arnobij, Lactantij, S. Auguſtini, Euſebij, & aliorum monumenta Apologetica pro Chriſtiana Religione, ſatis oſtendunt quibus contradictionibus exagitata fuerit. Num propterea flagitioſa & impia cenſenda eſt? Vix inuenias familiam religioſam, quæ ſine contradictionibus cæperit & coaluerit. Ab his neque D. Benedicti, neque D. Dominici, neque D. Franciſci Ordo immunis fuit; cuius rei teſtes locupletiſsimi D. Gregorius, D. Thomas Aquinas, & D. Bonauentura, quorum duo poſteriores integra volumina doctiſsimè conſcripſerunt, vt obtrectatoribus & contradictoribus ſuorum Ordinum ora concluderent. Quid igitur mirum, Societati neque deeſſe, neque defuiſſe contradictiones, hoc præſertim quo moribus & opinionibus tam corrupto? quo mali mores tanquam herba irrigua ſuccreuerunt vberrimè.

Lucæ 2.

Actor. vlt.

D. Greg. in vita S. Benedict. D. Thomas in lib. contra impug. Relig. D. Bonauent. in Apolog. pauperum.

rimè. Imò vt frequentia contradictionum perspicuè ostensum est, diuino consilio Religionem Christianam & illas Religiosorum familias fuisse fundatas & in mundum introductas; ita iisdem contradictionibus palàm fit, Societatem Iesu humana industria; ope vel potentia, neque iam niti, neque olim nixam esse. Concludo igitur hunc locum verissimo Legis doctoris illius oraculo: *Si ex hominibus consilium hoc aut opus* (Societas Iesu) *dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis* (ô Calumniatores) *dissoluere eos* (Iesuitas) *Et nunc itaque dico vobis: Discedite ab hominibus istis* (Iesuitis) *& sinite illos, ne fortè & Deo repugnare inueniamini.* Iam audiamus, quid amplius Regum & Principum monitor in medium adferat. Actor. 5.

Cui verò minus veritati videatur consentaneum, quod toties Aduocatus ille Regem suum, de fraudibus illorum & insidiis, vix vlla satis diligentia, nisi regno exactis, aut qua alia, quàm merentur, seueritate punitis, sibi cauendis, haud inanis vates admonuit & obtestatus est? quid enim tot in medium allata exempla corruptæ pueritiæ & iuuentutis, cui vnicè operam dant, adolescentiæ perditæ & dissolutæ, patrimoniorum dissipatorum, hæreditatum expilatarum, atq; familiarum funditùs euersarum? Vis horum verborum hæc est, nisi fallor. Arnaldus Aduocatus Parisiensis sæpius affirmat in sua Philippica, Iesuitas iuuentutem seducere & deprauare, familiasq; opulentas non modò diripere & expilare, sed & funditùs exstirpare; & huius confirmandi gratiâ, crebrò Regem suum, absentem tamen, compellat, sermone per Apostrophen ad eum conuerso, quem obtestatur, vt sibi à Iesuitarum fraudibus & insidiis caueat: quis ergo dubitet vera esse, quæ Arnaldus Iesuitis obiecit? Egregia certè argumẽtatio, nec absimilis huic: Ethnici olim insimulabant Christianos grauissimorum criminum, infanticidij, esus humanę carnis, incæsti, læsæ maiestatis, & similium, hæc publicè & priuatim Apud. Tertul. in Apolog.

priuatim, in foro, in theatro, in circo, vno verbo, vbiq; cõstanter iactabant, Diisq; & Imperatoribus compellatis, Christianos ad pœnam deposcebant: Quis igitur dubitet, accusationes illas vero fuisse consentaneas?

Porrò quia iste percontatur, cui nam vero minus consentaneum videri possit id, quod Arnaldus Iesuitis imposuit, non grauabor aliquos nominare; & primo quidem loco ipsum Amplissimum Senatum Parisiensem colloco; huic Oratio & Actio Arnaldi, adeò non est visa verisimilis, vt Iesuitas absoluerit, Arnaldo abire iusso, non obtenta victoria: at posteà alia mens iniecta est illis Senatoribus, Iesuitis ex Gallia pulsis. Quid post semestre propemodum iudicij de Arnaldi Inuectiua habuerint, equidem nescio: hoc scio, Arnaldum cùm in Iulio coram Parlamento perorauit, tanquã calumniatorem & mendacem Sycophantam repulsum fuisse. Quomodo enim fieri potuisset, vt Senatus Regius non derepẽte Iesuitas præcipites ex Gallia eiiceret, si immanissima illa facinora, quæ Arnaldus Iesuitis per summam iniuriã affingit, credidisset esse vera. Deinde quidquid auctoritatis Inuectiuę Arnaldi post factum Schattelij apud Curiam accesserit; certum tamen est, multa millia Gallorum adhuc reperiri etiam Parisiis, quibus non modò Arnaldi Oratio non videatur vero consentanea; sed qui Arnaldum quoq; tanquam ex mendaciis & calumniis conflatum detestentur & execrentur. Hinc apud multos *Arnaldi* vocabulum noua impositione quemuis eximium calumniatorem & mendacẽ impostorem significare cæpit. Vero etiam consentanea non videtur Actio Arnaldi Tolosæ vrbi amplissimę & aliis nonnullis Gallię ciuitatibus, quę Societatem retinuerunt, & adhuc retinent, non obstante edicto Parisiensi: nec alij Principes orbis Christiani pro vera habent, cùm Iesuitas æquè, ac anteà foueant & tueantur, quantumuis frementibus hæreticis,

reticis. Denique quisquis Apologiam hanc Franciſci Montani perlegerit, is non modò fidem Arnaldi ſuſpectam habebit; ſed & clarè deprehendet, nihil in hoc homine veritatis & Chriſtiani candoris ineſſe. Eat iam & ſciſcitetur hæreticus iſte, cui id, quod Arnaldus Ieſuitis obiecit, non videatur vero conſentaneum? Sed pergit.

At iſta fortaſsis inter priuata quis referat incommoda: quin publicè grauiora longè, prouincias integras & regna turbata & peruerſa nouimus, vbicunque, quam ſibi vendicant, auctoritatis & poteſtatis vim obtinent: inducíarum conuentiones, fœdera ſacroſancta, ſi violanda, aut bellorum incendia conflanda, ipſorum opera, ipſis internunciis auctoribus atq; flabellis hæc fieri hodie videmus. In Reges, & eos, penes quos rerum ſummam leges eſſe volunt, non minùs illi, quàm olim domini in ſeruos vitæ atque necis arbitrium & poteſtatem ſibi ſumunt, ac etiam exercent, neque verò illud ex iuris & religionis præſcripto, ſed impotentis animi libidine, & ad commodum Hiſpanicæ Monarchiæ. Hæc tam vera ſunt, quã illa, quæ in hoc genere Arnaldus attulit: quæ quàm vera ſint, ſatis ſuperq; demonſtrauit Montanus. Vera tamen erunt, ſi tribuantur Caluiniſtis, quorum inſanis furoribus prouincias integras (Galliæ, Belgij Angliæ, Scotiæ, Germaniæ) & integra regna turbata & peruerſa nouimus, vbicunque, quam ſibi vendicant, auctoritatis & poteſtatis vim obtinent. Nouit hoc mundus vniuerſus: teſtantur idem omnium hiſtoriarum monumenta, & teſtabuntur etiam poſteris, quibus præ admiratione & horrore comę erectæ ſtabunt, & vox intercluſa hærebit, cùm legerint, hæc talia monſtra hoc noſtro ſeculo edita: In Reges, & eos, penes quos rerum ſummam leges eſſe volunt, non minus illi, quàm olim Domini in ſeruos, vitæ atque necis arbitrium & poteſtatem ſibi ſumunt ac etiam exercẽt. (Gemit adhuc Scotia & Gallia.) Sed quid mirum, Reges, niſi Caluiniſtæ ſint, Caluino & Caluiniſtis

asini sunt, *bruta & stolida animantia, digni non honorari, sed conspui.* Neque verò hæc & id genus millena ex iuris & religionis Christianæ præscripto faciunt, sed ex impotentis animi libidine, & ad commodum, non Hispanicæ Monarchiæ; sed tyrannidis Caluinisticæ. Porrò vt olim Ethnici, quidquid cladium Romano Imperio accidebat, id totum Christianis adscribebant: ita Arnaldus, cùm suis omnes bellorum motus, omnes calamitates Iesuitis auctoribus assignat: *Si Tyberis ascendit in mœnia*, inquit Tertullianus, *si Nilus non ascendit in arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem acclamatur.*

In Apolog. cap. 39.

Arnaldus & isti, Iesuitas non quidē ad *leonem*, sed ad *crucem*, *laqueum*, & minimum ad sempiternum exilium deposcunt, eodem iure, quo olim idololatræ postulabant Christianos ad leonem. Sed iam monitor noster maius opus monet, maior illi rerum nascitur ordo.

Hinc nuperrimè, inquit, *Galliarum Regem in summum vitæ discrimen adductum, scimus, non à militari aliquo homine, aut aliqua iniuria lacessito, vel lue hæretica polluto; sed ab eo, qui Iesuitis Præceptoribus vsus est, & naturæ prauitati, & insitæ malitiæ disciplinam illorum & institutionem, quo perfectior euaderet furcifer, coniunxit: cui spes omnis impetrandæ scelerum veniæ adempta fuerat; nisi in verba Iesuitæ Confessoris iurasset, & omnium detestabilissimo interficiēdi Regis sceleri se astrinxisset, & tandem diabolicis artibus instructus, facinus tam audax in præsentia tot procerum, honoris & gratulandi caussa concurrentium aggressus fuisset.* Omissis verborum ambagibus & superfluis exaggerationibus, neruus totius orationis in hoc Enthymemate consistit: Iesuitarum discipulus Regem occidere voluit: Iesuitæ igitur tanquam corruptores iuuentutis, perturbatores quietis publicæ, inimici Regis eiusq; Imperij ex Gallia eiiciendi sunt. Bone Deus, quis securus erit, & extra teli iactum, si hoc genus argumentandi semel

semel introducatur in orbem? Primùm enim, quo iure Magistri & & Doctores luere coguntur malefacta suorum Auditorum? Difficilem sanè sustinent prouinciam, ne dicam omnino intolerandam, si crimina discipulorum in ipsos expetant. Deinde, cur Præceptores Iesuitæ soli in crimine? An nõ aliis Prę ceptoribus vsus est Schattelius proximè, antequam facinus aggrederetur, & quidem per semestre & amplius? quid quæso incommodi subierunt propter discipuli delictum? *Cursum Philosophicum*, inquiunt isti, *confecit in Collegio Parisiensi*: At apud alios Iurisprudentiæ studium iam inchoârat: & quid in hoc vel in illo piaculi; aut si quid in illo, cur non etiam in hoc, cùm æquè aliis Professoribus ac Iesuitis operam dederit? In cursu Philosophico nusquam docetur, ius fasq; esse trucidare Reges; multò minùs Reges Christianissimos: & si Ioannes Gueretus Præceptor Schattelij alicubi in Cursu hoc asseruisset; vtique laqueum & rogum non effugisset, cùm Ioannes Guinardus Professor Theologiæ sanguine suo quæstionem illam soluere debuerit, vtrum priuato liceat interficere Tyrannum, quam hactenus impunè Theologicæ & Iuridicæ scholæ omnes, variis argumentis in vtramq; partem propositis posuerunt & discusserunt, & in posterum quoque ponent & discutiẽt, sine cuiusquam iniuria, cùm quæstio versetur in thesi, non in hypothesi.

At prodiit Schattelius ex Iesuitarum disciplina. Quid tum postea? Dummodò facinus meditatum in Iesuitarum disciplina non didicerit; vel dicant isti, in qua schola, in qua parte Philosophiæ à suo Magistro audierit, licere violentas manus adferre Galliarum Regi Christianissimo? Dum distinctè & partitè loca & nomina Professorum, qui isthæc tradiderint, non edunt, satis ostendunt isti, se veritati non lucem, sed mendacio & calumniæ latebram quærere. Pro-

diit Iudas ex disciplina Christi: sed in disciplina Christi non didicit prodere Christum. Hæretici prodeunt ex disciplina Ecclesiæ, sed in disciplina Ecclesiæ impietatem & perfidiã non discunt. Vt igitur disciplina Christi scelerata non fuit propter proditorem Iudam: nec disciplina Ecclesiæ propter tot transfugas & desertores; ita nec disciplina Iesuitarum execranda & abominanda est, quòd vnus disciplinæ illius alumnus extiterit, qui tam audax facinus tentârit. Nullusné vnquam latro, homicida, parricida, sicarius, Assasinus, ex disciplina Academiæ Parisiensis prodiit; ex disciplina, inquam, illius scholæ, quæ tot millium iuuenum ab aliquot annorum centuriis mater & institutrix fuit? An non ipse Schattelius ex disciplina Parisiẽsis Academię exstitit eo ipso tempore quo Regem designauit ad cædem? Num propterea disciplina & institutio Vniuersitatis illius *latrones, homicidas, parricidas, sicarios, Assasinos* format & parit? Et num propterea exterminantur & proscribuntur, & equuleis & catastis distenduntur & discruciantur Professores & horum talium Magistri? ne fando quidem tale quid anteactis temporibus auditum est: Cur ergo solis Iesuitis crimini datur, de quo alij ne appellantur quidem? Quid enim ad Professorem publicum & Academicum, si discipulus sceleratus in rotam aut in rogum, aut in crucem agatur? Quos clamores sustulissent hæretici Germani & alij, si aliquis ex Iesuitarum Societate insidias Regi struxisset, cùm propter discipulum Iesuitis adeò insultent?

Ob factum Fratris Clementis pulsi non sunt ex Gallia, Ordinis D. Dominici Patres, nec violatæ maiestatis rei proclamati: si Iesuitarum quispiam tale quid designasset, non sibi tantùm, sed vniuersis, quotquot in Gallia degebant, periculum capitis creasset. Certè aduersarij solo exilio contenti & satiati non fuissent. Cur igitur Iesuitarum conditio deterior

deterior est ob discipuli culpam, quàm aliorum, ob factum non ab externo, sed à domestico; non ab auditore, sed ab Ordinis consorte susceptum? Aut si iure omnes puniri neq; possunt, neque debent, vnius ob noxam, vt certè non possunt; cur Iesuitis idem ius, maiore iure non obtingat?

At Iesuitæ conscij fuerunt futuri facinoris, inquit iste hæreticus: *Imò à Confessario iussus est scelus hoc aggredi.* Sed mentiri more suo istum hæreticum, testatur inprimis ipse Schattelius, qui ad extremum vsq; spiritum inter grauissima tormenta cõstantissimè semper confessus est, se à nemine ad hoc inductum, sed sponte sua, nemine conscio, solo Deo teste, hoc consilium suscepisse, in qua confessione vitam quoque per acerbissima supplicia finiit: vt quiuis legere poterit in historica narratione, quæ hac de re Augustę Vindelicorum Año M. D. XCV. edita est, excerpta ex scriptis & sermonibus eorum, qui hæc omnia coràm spectarunt, cuius summam infrà reperies. Deinde calumniam hanc & mendacium redarguunt ipsi quæsitores & rerum capitalium vindices, qui Præceptorem Schattelij & Rectorem Parisiensem & alios, liberos abire permiserunt: quod certè non feciſſent, si vel leuiter facti huius Iesuitę fuissent conscij, præsertim cum Ioannem Gueretum Magistrum Schattelij ita excarnificarint, vt ex tormentorum immanitate mortuo similis videretur. Itaq; non clementia Iudicum, sed innocentia eos absoluit, & ex vinculis dirisq; quæstionibus eripuit. Tertiò mendacium hoc refellit ipsum Senatusconsultum seu Arrestum supremę Curię contra Schattelium, recitatum ab isto hæretico: vbi enim in eo arguuntur Iesuitę tanquam conscij, vel auctores & suasores facinoris? Quis verò credat, Iudices in suo decreto non expressuros fuisse speciatim, & quidem literis maiusculis, si Iesuitę vel conscij vel suasores fuissent? Nam quod initio *Arresti* dicitur *Schattelium damnatum auditis*

etiam interrogationibus & confessionibus Ioannis Guereti Præceptoris dicti Schattelij; id non obstat: quia ex Guereto nihil aliud, quantumuis summis cruciatibus adhibitis, extundere potuerunt, quàm se fuisse in Philosophia Magistrum Schattelij, & omnium illius machinationum penitus ignarum; id quod verum erat: si quod volebant & quærebant, quæsitores exculpsissent; Gueretus vtiq; crudeliore supplicio, quàm Guinardus, vitam terminasset. Addit hæreticus.

Neq; verò quis obiiciat, vnum tantùm atq; alterum ex Iesuitico Ordine facinoris huius fortè conscios fuisse, quin nullum non participem extitisse, hinc probabile fit, quod vultu atq; gestibus quo minus desiderij & mente conceptæ lætitiæ signa proderent, temperare sibi nequiuisse perhibentur. Adeóne effrons & impudens es, vt nullum ex Iesuitico Ordine facinoris futuri non conscium & participem fuisse, asseras? Ergo illi etiã, qui degunt in Iapponia, in vtraq; India, in Peru, Brasilia, Lusitania, Hispania, Germania, Belgio, Polonia, facinoris huius conscij & participes fuerunt, quorum pleriq; eo tempore ignorabant, quisnam Gallię sceptrum teneret. Si homo iste frontem non perfricuit, omnesq; modestię & veritatis limites non transiliit; nescio sanè, quis imposterum impudens & mendax sit censendus. *Nullus*, inquit, *Iesuitici ordinis huius facinoris particeps non fuit*: atqui tantum abest, vt omnes conscij vel participes fuerint, vt ne Galli quidem conscij fuerint, imò neq; Parisienses, vt antea ostendi, ipsorum etiam aduersariorum testimonio.

Sed probas, omnes fuisse participes. *Quia vultu atq; gestibus, quò minùs desiderij & mente conceptæ lætitiæ signa proderent, temperare sibi nequiuisse perhibentur.* Quæso te, quinam sunt illi, qui viderunt omnes Iesuitas, quotquot sunt in hoc Ordine, vultu & gestibus lætitiam mente conceptam prodere? Perhibentur, inquis; sed à quo? A fama? *Fama incerti est*, inquit

Ut Apol. cap. 3.

inquit Tertullianus, *locum non habet, vbi certum est: an verò famæ credat, nisi inconsideratus? Quia sapiens non credit incerto.* Et quis huic famę, obsecro, credat, cui cor sapiat? Quia si in illas orbis partes, quas Iesuitę incolunt & excolunt, certi & ad hunc finem selecti missi fuissent, vt explorarent, quis nam singulorum Iesuitarum super hoc facto sensus & animus esset, næ illi aliquot lustris eguissent, quoad redirent ad Arnaldum, exposituri, quantis lætitiis Iesuitę cumulati incederēt.

Deinde quæro, num Iesuitę antè, an post factum ediderint tanta gaudij signa: Si antè, proba hoc idoneis auctoribus. Probas fama? Méne huic confidere monstro iubes, cui ea *conditio est, vt non nisi cùm mentitur, perseueret, & tamdiu viuit, quamdiu non probat,* vt verissimè dixit Tertullianus? Si dicas, post factum; mentiris: tum quia post factum potiùs doluissent ob improsperum successum, si Regis interitum optassent. Deinde, quia non multis à facto horis interlapsis, omnes capti, & ex Collegio abducti sunt, excepto Rectore, quòd certè magnam attulit illis gaudendi materiam; nisi fortè loquaris de gaudio, quo omnes probi perfundi solent, cùm propter iustitiam patiuntur. His enim mos est *omne gaudium existimare, cùm in varias tentationes incidunt,* iuxta monitum B. Iacobi Apostoli. Et Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Iam audiamus denuò hæreticum. Loc. cit. Cap. 1. Actor. 5.

Huc facit, quod Heluetiis nonnullis Lutetiam proficiscentibus in Alpibus obuiam facti Iesuitæ, auctores fuêre, ne vlteriùs progederentur: frustrà enim eos Regi operam suam nauare velle, quem ad Calendas vsq; Ianuarij, superstitem non futurum exploratum haberent. Vnde hoc probas? Fortasis etiam ex fama: sed *qui citò credit* (famæ præsertim) *leuis est corde.* Quid igitur leuius istis, qui ad quosuis rumusculos arrectis auribus & attonitis animis astant, *nec recogitant, ne primum illud* os, à quo fama Eccles. 19.

prin-

principiò manauit, *mendacium seminauerit, quod sæpe fit*, inquit Tertullianus, *aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.* Deinde, quare Alpes suo nomine non designasti? Alpes, inquam, illas, in quibus sibi Iesuitæ & milites occurrerunt. Multæ sunt inter Heluetiam & Galliam Alpes. Præterea cur non notasti tempus: si minus diem, saltem hebdomadem; si minus hanc, saltem mensem? Cur siluisti, quinam fuerint isti Iesuitæ? Num Heluetij, num Itali, num Galli? Cur hæc & id genus alia præteriisti, nisi quia mendacio latibulũ quęsiuisti? Totum, quod de Iesuitis narras, si ego narrarem de Prædicãtibus, qua ratione me refelleres? Ad extremum, annõ incredibile est, Iesuitas Heluetios sciuisse id futurũ ante Calendas Ianuarias, quod ne ipse quidẽ Schattelius nouerat futurum ante Calendas Ianuarias? Licèt enim iam animo facinus cõcepisset, ignorabat tamen, quę propositi exequendi sese offerret occasio. Plus ergo Iesuitę in Heluetia sciuerunt, quàm ipse huius facti auctor, nisi fortè mirabilius videatur, istum & alios calumniatores sciuisse, Iesuitas Helueticos scire, quod planè ignorabant, vt proinde non immeritò ponantur in numero eorum, qui, vt ait Poëta, *quod quisquam in animo habet, aut habiturus est, sciunt. Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit, sciunt, quod Iuno fabulata est cum Ioue; quæ neq; futura, neq; facta sunt, tamen ij sciunt.* Concludit noster monitor sua figmenta hac cohortatione.

Loc. cit.

Nunc itaq; denuò, vti ab initio etiam fecimus, vos Reges atq; Principes appellandi nobis estis, & ex vobis quærendum, num dubitare amplius possitis, nisi vobis ipsis & subditis vestris aduersus istam generis humani pestem quam maturrimè prospexeritis, quin idem vitæ & fortunarum periculum, & exitium certissimum quasi fatum aliquod singulis vos momentis maneat? Quamobrem vos per salutem vestram, si modò illa vobis curæ est, rogamus & obsecramus; vt Iesuitarum sodali-

sodalitium quàm longissimè à ditionibus, liberis, atq; chariſsimis coniugibus veſtris remotum esse velitis. Ego etiam concludo, & nunc denuò, sicut ab initio feci, vos Reges atq; Principes appellandi nobis estis, & ex vobis quærendum, num dubitare amplius posſitis, nisi vobis ipsis & subditis veſtris, aduersus istam calumniatorum & sycophantarum turbam, præsentissimam humani generis peſtem, quàm maturrimè prospexeritis, quin idem vitæ & fortunarum periculum & exitium certissimũ quasi fatum aliquot singulis vos momentis maneat? Quamobrem vos per salutem veſtram, si modò illa vobis curæ est, rogamus & obsecramus vt criminatorum & impostorum Arnaldicorum conspirationem, quàm longissimè à ditionibus, liberis, atque chariſsimis cõiugibus veſtris remotam esse velitis. Vocat iſte Ieſuitarum Societatem non modò *inutilem*, sed & *peſtem: planè confitebor* cum Tertulliano, *qui conquerantur: nam si qui fortè vere* de Ieſuitarum *ſterilitate*, imò verò de Societate tanquam de peſte conqueruntur, *primi sunt lenones, perductores, aquarioli, tum ſicarij, venenarij, magi, item Aruſpices, arioli, Prædicantes Lutherani, Miniſtri Caluiniſtici, Catholici Machiauelliſtici & Arnaldici,* & *ſimiles. His infructuoſos, imò peſtem esse, magnus fructus eſt.* In Apolog. cap. 43.

DE IOANNE SCHATTELIO,

CVIVS SVPRA CREBRO FACTA MENTIO, & de Ieſuitarum ex Galliis expulsione. Ex Narratione Hiſtorica Auguſtę Vindelicorum hac de re edita, Anno Domini, 1595.

IOANNES *Schattelius, filius cuiusdam ciuis Pariſienſis, natus annos circiter uiginti duos, Philoſophiæ apud Patres Societatis Ieſu operam dedit unà cum aliis, qui ab ipſis frequentes Pariſiis erudiebantur. Philoſophiæ curriculo confecto, aliò ſua ſtudia tranſtulit, eáq; omnino Iuriſprudentiæ addixit: in qua perdiſcen-*

da septimum iam mensem præceptoribus utebatur Iurisconsultis. Hic postquam animo obfirmato decreuisset Henricum IV. Regem Galliarum è medio tollere, occasione iam semel frustra captata, tandem ipso festo die S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ anno M. D. XCIV. confertæ famulorum turbæ se immiscens, penetrauit in eas ædes, in quibus tum Rex, qui paulò ante è Picardia Lutetiam Parisiorum aduenerat, commorabatur: seque mox inseruientium ordinibus audacter adiungens, non aliter ibi, ac illi qui præstò sunt, ut dominorum suorum nutus obseruent & iussa exequantur, uersabatur. Porro septima hora noctu Rex in eum transiuit locum, in quo frequens famulitium aulicum præstolabatur Regem, qui cùm securus, et nihil minus quàm insidias sibi paratas cogitans, lætus colloqueretur et inter colloquendũ, ut exspueret paululum sese inclinaret, ecce tibi iuuenis ille in regem derepente uehementissimũ ictum librat: cultrũ, quo oblongo armatus erat, immersurus iugulo: sed ictus uiolentiâ fallente dextrã, labro dextro tantummodo conuulnerato & perfoßo, dentem unam excußit, simulq; cultrum abiecit, & habitu ad dißimulandum composito, unà cum aliis admirabundus, ueluti insons factiq; injcius circumspiciebat, quasi demiraretur quid à quonam patratum eßet. Rex ipse inopinato ictu attonitus non penitus animaduertit, quis ille, à quo sauciatus: quin ipsi circumfusi famuli, nouitate rei perculsi, audito quidem ictus fragore, non tamen discernebant facinoris auctorem. Duo qui tum proximi Regi astitisse uidebantur, comprehensi sunt, qui facti ignorantiam, & suam innocentiam omnibus facile demum probauerunt: comprehensus quoq; est Schattelius: quia plerisq; ignotior, atque illius præsentia insolita importunaq; uisa erat. Sed hic ultro, nec dum subiectus tormentis, libereq; professus est, se eße illum, qui hoc fuißet ausus. Quamobrem Rex imperauit, ne præcipiti sententia supplicij tolleretur: sed ut, quibuscunq; poßent artibus, quacunq; ui, extorquerent, ut proderet omnes eos qui conscij, impulsores, suasoresue extitißent, siue qui ullo pacto quicquam causæ hac in re suggeßißent. Iußu præterea Regis mox in omnium celebriorum templorum turribus festo pulsu æra personabant, quo uniuersa ciuitas excitaretur ad decantandum hymnum: Te Deum laudamus; eò quòd Rex maximo præsentißimæ mortis periculo felicißimè subductus eßet.

Mox aliqui è proceribus capti iuuenis animum uariis modis pertentabant, non una uia & arte eum aggreßi, ut elicerent, cum quibus sua consilia communicaßet, quos suasores, impulsoresue habuißet, qui nam deniq; in facinoris conscientiam asciti fuißent. Inter alia quæ frustra experti sunt, humo quoq; illum alliserunt, stricto in pectus gladio, comminantes fore ut iam crudelißimè cor

tranſ-

transadigerent, nisi illico uerum efferret. Ad quæ respondit, se nullius hominis suasu uel impulsu id feciße, quin sui consilij conscientiam nullum mortalium habuisse, quò minùs metu proditionis à cœptis retardaretur, néue ullum impedimentum à conscijs obiici posset: solum semetipsum sibi auctorem atq; consultorem fuisse. Deinde petere se, quandoquidem certa mors immineret, ut Sacerdotis fieret copia, cui peccata liceat ritè confiteri, eáq; pœnitentia expiare: quod libenter illi se concessuros affirmabant. Sed quendam è plebe, qui se sacerdotem mentiretur, subornauerunt, qui habitu Sacerdotē referens ad Schattelium accessit. Ista omnia ea nimirum mente & spe facta sunt, ut hac ratione certißimè explorarent, quæ tantopere scire desiderabant. Schattelius uerò coram illo quem sacerdotem existimabat grauiter conquestus est de perturbatæ mentis suæ nimio angore, quo ita se iam opprimi aiebat, ut non posset peccatorum suorum meminisse, eáq; rite rememorando confiteri, sicut desideraret, proinde rogare se, ut tantum impetret, quò ad se perferretur scriptum, in quod ante paucos dies, suæ omnis anteactæ uitæ peccata coniecerat, idq; in parentis ædibus in abstruso angulo à se reconditum latere. Hoc à libentibus impetratum est: quare confessio illa generalis fuit eo quem indicauerat loco reperta: in qua contra omnium opinionem ne uerbulum quidem unicum erat, quòd ullus mortalium ullam causam, consiliumúe hac in re ei suggessißet. Posthæc in carcerem publicum, quo facinorosi ac malefici conduntur, abreptus est. Neq; multo post cùm quæstioni admotus fuit à suprema Curia Parlamenti, intellectum est inter cætera, Schattelium apud Patres Societatis Iesu Philosophiæ studuisse, licèt his studijs omninò absolutis per septem menses Doctores alios audiuißet. quare illico quidam Domini è Parlamento suspicionem animo conceperunt, inque eam sententiam tanquam certißimam descenderunt, conscios & suasores fuisse Patres Societatis. Illa ipsa igitur nocte circa horam nonam miserunt quosdam cum ualida neque illa exigua armatorum manu, qui conuocatis in unum, tam Sacerdotibus, quàm aliis quotquot erant in Collegio (tum autem erant circiter quadraginta) hoc egerunt. simul omnes comprehensos, & in cuiusdam Senatoris ædes abductos concluſere: Solum Rectorem illa nocte in Collegio detinuerunt, quod & milites diligenti custodia insedêre.

Sequenti die, festo nimirum Innocentum 28. Decembris, præsente & inspectante Rectore in omnibus cubiculis atq; habitationibus omnes libri, scripta, schedæ curiosißimè perquirendo excussa sunt, & demum in cubiculo P. Ioannis Guinardi Theologiæ Professoris perbreuis tractatus repertus est, quem ipse ante annos quatuor uel quinq; conscripserat, quo illa quæstio continebatur, à Doctori-

bus in Scholis passim tractata & agitata: Vtrum tyrannum qui se palàm hostem gerit Reipub. liceat priuato occidere. de qua quæstione argumenta, quæ in utramq; partem, ut solet, ad discutiendam disquirendámq; ueritatem, à uariis auctoribus adferuntur, ibi quoq; congesta erant. Inter alia item narratione comprehensum fuit, quid Frater Clemens Dominicanus Monachus in Henricum III. ausus fuisset. Itaq; continuo Ioannem Guinardum propter hoc scriptum in uincula compingunt: nec non P. Ioannem Gueretum, diuerso tamen carcere conclusum, qui ante septem menses in Philosophia Schattelij Præceptor fuerat: sicut & postea Patrem Alexandrum Georgium Collegij Rectorem unà cum aliis quinq; è Societate, quorum singulis singularem carcerem tribuerunt, neque aliter quàm turpissimorum facinorum reos fame, & uariorum comminationibus malorũ onustos arctissimæ custodiæ tenebris obruerunt. Interea pænè omnes pænitentes, quorum P. Ioannes Gueretus confessiones excepisse poterat sciri, omnesque discipuli, qui unquam ab illo in literis eruditi, seuero & accurato quæstionis genere pertentati sunt: quin & minarum terrore promissorum illecebris permisto curatum sedulò est, ut elicerent, qui causæ huius conscij essent, an quicquam à P. Guereto percepissent, quod uel umbram præseferret consilij, ulliusue causæ, quam Schattelio Pater præbere potuisset. Sed nihil eorum, quæ quantumuis curioso perueſtigandi studio inquirebantur, potuit inueniri. Imò ipse pater Gueretus acerbissimis tormentis subiectus est, ut omni uitæ sensu destitutus doloriscue ui exanimatus esse uideretur: quin & à tortoribus iam animam efflasse inter pœnas putabatur. Hic tamen omnia ea animi hilaritate tam prompta, tamq; forti patientia tolerauit, ut adstantibus sui admirationem & reuerentiam commouerit: sicut & paulò post huius innocentiam clarè omnibus plus satis probatam fuisse, publico iudicij testimonio confirmatum est, dum ut innocens cum aliis carcere solutus liber abire iussus est.

Vltimo Decembris Ioannes Schattelius iudicium capitis subiit, & sententiam mortis damnatus excepit: cui sententiæ & alia contra Patres Societatis Iesu adiuncta, quæ lata simul & clarè pronunciata fuit, in Patrem nimirum Clementem Puteanum, & reliquos omnes ueluti reos seductæ iuuentutis Parisiis commorantes Iesuitas (præterquàm eos, qui diutius in carcere uidebantur esse retinendi) Sententia autem talis erat, ut bona Collegij Fisco sint addicta: ut intra uiginti quatuor horarum spatium Lutetia Parisiorum, & intra dies XV. ex toto Galliarum regno excedant. Quare illico P. Prouincialis cum omnibus suis discessit, iis exceptis, qui in uinculis detinebantur.

Eodem

Eodem die Schattelius extremo supplicio affectus est. Cui primò manus dextra resciſſa. dein admotis forcipibus candentibus femori & toris brachiorum excruciatus. demum quatuor equis in diuersa agitatis alligatus fruſtatim diſcerptus: priuſquam tamen id fieret, augendi terroris, & acuendi doloris cauſſa equi incitati, in primo impetu ſubito inhibiti ſunt, ita ut omnium compages membrorum cum fragore cruciarentur: quod iteratum eſt: intereaque grauiſſimè eum quidam allocuti ſunt ut fateretur, quiſnam conſcius, quis auctor, quis ſuaſor fuiſſet: At ille ſæpius elata clariſſima uoce, ut ab omnibus commodè exaudiri potuerit, exclamauit. Nullum mortalium ſibi ullum incitamentum aut conſilium ad hoc dediſſe: ſeque nemini unquam hac de re ſuam mentem aperuiſſe: Scire ſe, ſin aliud dicat fore ut iam iam tartara tanquam mendaciſſimum exciperent. In cuius ſententiæ repetitione ab equis diſcerptus & mortuus eſt.

Septimo Ianuarij Anno M. D. X C V. in Patrem Ioannem Guinardum propter tractatum repertum in ipſius cubiculo ſententia mortis lata eſt, ut in patibulo ſuſpenderetur: qui cum more Galliis recepto, omnibus ueſtibus denudatus, ſola interula malè tectus ad patibulum iam iam abripiendus, priùs ſiſteretur ad fores templi B. Virginis Mariæ, ibique interrogatus, an peccatorum ueniam à Deo eflagitaret: reſpondit: Probè ſcio me miſerum eſſe peccatorem, & ſupplex oro te Deus ut peccatis abſoluto mihi miſericordiam tuam ne deneges. Interrogârunt item, utrum à Rege uenià peteret. Regem (ait) in nullo unquam offendi. Deniq; utrũ iudicibus ſententiam mortis uellet dimittere. Dimitte illis (exclamat) Domine Ieſu omnia peccata, quia neſciunt quid faciunt. Cùm iam patibulum à longè conſpexiſſet, cui appropinquabat, S. Andreæ Apoſtoli exẽplo, & uerbis illud piè & alacriter conſalutauit: læta mente ac fronte ſcalas conſcendit, è quibus allocutus circumfuſam ſpectantium multitudinem: quòd ſupplicij hoc genere enecaretur, aliam nullã ſubeſſe cauſſam, quàm quia ante annos quatuor uel quinq; perbreuẽ tractatum conſcripſiſſet, nullius iniuria, nullius incommodo, in quem collegiſſet opiniones & ſententias ſanctorum Patrum, uariorumq; auctorum, quas ipſi ante monumentis commendauerant de hac Quæſtione: Vtrum liceat priuato homini occidere manifeſtum tyrannum: Tractatum illum ſe neque typis in lucem editum euulgaſſe: quin in aliorum manus eum nunquam peruenisſe. Regem ibi neque uerbulo læſum aut offenſum. Quæ Patris uerba omnem circumſtantem populum in magnam commiſerationem inflexerunt.

Decimo Ianuarij P. Rector & P. Ioannes Gueretus Schattelij quondam in Philoſophia Præceptor, & alij quinque Socij ſunt liberi dimiſſi è uinculis: qui

quidem nullo modo euasissent præsentẽ mortem si uel pertenuis umbra caussæ ullius apparuißet, propter quam occidi potuissent. Sicut & hæc caussa minimè fuisset prætereunda in sententia illa, qua, ut omnes Iesuitæ urbe cederent decretum, præter illos qui tum in uinculis erant. Sed & isti hoc die eandem excepe-runt sententiam, ut scilicet XXIV. horis elapsis Parisiis, & XV. diebus ex Galliis emigrarent. Quare illo ipso die neque uiso priùs Collegio (sicut & P. Prouincialis cum suis similiter fecerat) associati per medium ciuitatis egreßi sunt.

Laus DEO Virginique Matri.

AD CALVINISTAS, SEV DEFORMATOS PRO SALVO CONDVCTV, quem Iesuitis ex Gallia discedentibus dederunt. Ex Gallico.

REformata cohors, dicata Diti,
Quam sequi iuuat, obuiis & vlnis
Amplecti, hæretico quod ore sparsit,
Et chartis miseris rogoq́ dignis
Illeuit, ter & amplius scelestus
Caluinus, macula & probrum huius æui;
Carmen reddo tibi tuum, reuisum
Accipe, oro, magis tibi placebit;
Reformatum etenim est, eóque, spero,
Ad tuum faciet magis palatum.
Quod si lima tibi videtur esse
Durior, poteris tuo arbitratu
Relimare, refingere, edolare,
Donec vt tua secta, túque, tandem
Reformetur ad vnguem & ex amussim.

156

Fides publica IESVITIS data ad Caluinistas remittitur.

PAndite nunc Acheronta, seraſq́ recludite Ditis
O Furiæ, & quidquid cuſtodum continet Orcus;
Hæreticis etenim veſtra de ſtirpe creatis,
Ad loca ſenta ſitu, ad furuæ ſtygis infima regna,
Libera danda via eſt, aditusq́ facillimus, illis
Hæreticis, quos iuſta Patris nunc dextera ſummi
Celtarum regione cupit depellere in imum.
Sex luſtris veſtro auſpicio meruêre ſecuti
Tam tua Tiſiphone, quàm triſtia caſtra Megæræ,
Alectusque, cui cædes & prælia cordi.
Turpius haud illis monſtrum ſub luminis oras
Prodiit ex Phlegethonte, nec ad ciuilia bella
Promptius; arma, arma, arma tonatq́ ſonatq́ cruoris
Tam ſitiens, quàm terra vndæ, cum Sirius æſtu
Pindit agros, lætasq́ calore exurit ariſtas.
Quare agite, ô Furiæ, & triplici tu gutture pollens
Ianitor, ad veſtras veſtros deducite ſedes.
Digna labore ſuo capiant ſtipendia tandem.
Tempore cur tanto ſinitis tam pectora chara,
Extra vmbras ſtygias, & Tartara nigra vagari?
Nauita qui ſimulacra modis volitantia miris
Et tenues vitas transfers per rauca fluenta
Cocyti, Puppim aduertas, ripæq́ propinques,
Et Caluiniſtas trans irremeabilis vndæ
Fer ripam, monſtris vt libera terra quieſcat;
At vos fœtentes Caluini de ſtabulo hirci
Ite, lares priſcos, Manesq́ reuiſite; nullus
Aptior eſt veſtro genio locus. Ecce tot annis
Veſtrum abitum ad Manes tam Gallia noſtra peroptat,

Quàm


Quàm metuit reditum; Ite bono, atq; malo omine; nobis
Ite bono, vobisque malo: id mala vestra merentur.
Dux vester sit Pluto, redux sit nemo precamur.

AD ARNALDVM.

Miraris careat cur hic liber indice, quæuis
Qui monstret, quo sint inuenienda loco?
Ne mirare: liber nam duplo maior hic esset.
Quin M. conficeret littera sola librum.
Singula nam tua si mendacia denotet Index
Hui index codex maximus iste foret.

FINIS.

BIBLIOTH: UNIV
JAGELLONICAE



H.